

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
30 B
40





VITA PATRIS GONZALI SYLVERIÆ, SOCIETATIS IESV Sacerdotis,

In vrbe Monomotapa martyrium passi.



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XII.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.



CLAVDIO AQVAVIVÆ SOCIETATIS IESV Præposito Generali.



OFFERO tibi, P. O. Gonzalum Syluerià, Societatis nostræ decus eximiũ; suis illum quidem, non tamen planè expressum, sed tantùm adumbratum coloribus. Multa enim viuens egit, multa moriens, quæ si fuissent memoriæ tradita, magno nobis solatio esse possent & exemplo: verùm per incuriam eorum, quibus cum vixit, non mediocri ex parte

in obliuionem abiere. Hoc gentis noſtræ, hoc eſt, Luſitanorum genuinum vitium eſt (quæ fuit aliorum iuſta de illis iam ante me querimonia) quàm ſunt ad agendum prompti; tam ſunt ad ſcribendum tardi; ac ſi nihil interſit poſterorum noſſe, quid ipſorum maiores præclarè geſſerint, vt & pia recordatione grati illis eſſe queant, & eorum viuendi rationem intuentes, vitam quoque ipſi laudabiliter inſtituant ſuam. Me verò ab hiſtoriæ, & humaniorum literarum occupationibus alieniſſimum, vt hunc ſuſciperem, quanquam exiguum, ſcribendi laborem, non inuitauit ſolùm, verumetiam pænè coëgit ſingularis quidam iam inde ferè à puero in Gonzalum affectus. Quo enim tempore, annum ætatis agens circiter decimum quartum, Socie-

tatis Iesu institutum in Conimbricensi Collegio amplexus sum, de re fermè nulla frequentior, quàm de Gonzalo erat inter sociòs sermo. Excitabant ad id, præter eius martyrij nuntium ex Æthiopia non ita pridem allatum, clarissima virtutum opera, quorum halitu adhuc illa Collegij tecta & parietes calebant. His me tum colloquiis permotum, ita deinceps sanctissimi viri memoria deuinxit ac tenuit; vt casu quodam oblatam nunc eius vitæ describendæ occasionem non putarem esse prætermittendam. Cæterùm cur istud, quidquid operis est, offeram tibi, haud meritò quis à me quærat. Cui enim potiùs, quàm illi, quem communem parentem agnoscimus, offeramus nostra? Hæc causa cuiuis, vt opinor, satis. Sed (dicam simpliciter) aliæ

me mouent longè potiores; inter quas animus iste tuus, ad omne genus pietatis ita propensus, vt quæ modo aliquo pietatem olent, ea tibi præ cęteris curæ & cordi esse, nemo non videat. Illa quoque non minima est, quòd nulli videantur aptiùs offerri posse Euangelici prędicatoris egregia facinora, quàm illi; qui ex insigni in Religionem affectu, ad hæreticos & schismaticos, ad Mahumetanos & Gentiles per Europã, per Africã, per Asiam, per orbẽ nouũ, per terrã denique vniuersam, tot tamque lectos, non annis tantùm singulis, sed quoties per annum opportunitas se offert, prædicatores destinat, maxima rei Christianæ gloria & emolumento. Alias causas prætereo, quia neque modestia tua illas libenter audiet, aut leget, neque mea, qui ab adula-

tione longiſſimè naturâ abſum, ſine vultus rubore mihi ſcribere permittit. Accipe interim has Gonzali noſtri, vt ita dicam, vmbras, quas alij poſtea exemplo meo, vt ſpero, permoti, conquiſitis diligentiùs eiuſdem Gonzali rebus feliciter illuſtrabunt.

Claudius Aquauiua, Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVM vitã P. Gondisalui Syluerij, à P. Nicolao Godigno nostræ Societatis latinè compositam, tres eiusdem Societatis Sacerdotes, quibus id commisimus, recognouerint; ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 8. Decembris 1611.

Claudius Aquauiua.



VITÆ GONZALI SYLVERIÆ SOCIETATIS IESV SACERDOTIS, IN vrbe Monomotapa martyrium passi,

LIBER PRIMVS.

Vbi, à quibus ortus, qua ratione in pueritia institutus.

CAPVT PRIMVM.



LMERINVM in Lusitania oppidum est Tago flumini vicinum, ad eam pertinens regionem, quæ Transtagana dicitur; quinque circiter & quadraginta passuum millibus, orientem versus, Olysipone distans. Huc olim reges Lusitani hiberno tempore soliti erant per aliquot menses transferre domicilium; quòd locus propter vicinos saltus, & ferarum abundantiam, venationi sit aptissimus. Sequebatur reges nobilitas, vt fit; atque ex ea imprimis illi, quibus

aliquod erat in regia curia officium. Hæc causa fuit, cur in eo oppido primam lucis vsuram hauserit Gonzalus Sylueria, excellens Christi Martyr, de quo nunc scribere instituimus. Natus est ex illustribus parentibus, anno salutis humanæ CIↃ.IↃ.XXVI. Pater illi fuit Ludouicus Sylueria, Sorteliæ comes, regis custodiæ præfectus, quod munus vt eximiæ apud Lusitanos fidelitatis indicium est, ita præcipuo quodam habetur in honore. Matrem habuit Beatricem Noroniam, Ludouici vxorem, & Ferdinandi Cottinij Lusitanici Imperij Marescali filiam, nulla re viro imparem. Decem Beatrix Ludouico filios peperit. Natu vltimus Gonzalus fuit; qui vt olim Beniaminus ille Racheli, ita ortu suo Beatrici matri interitum attulit; quasi quæ talem ediderat fœtum, nihil haberet amplius, quod posset pro dignitate edere, ideóque excederet è viuis. Illud de Gonzalo proditur memorabile quòd tertio ante ortum die, vtero adhuc inclusus, matris viscera vagitibus impleuit, communem præoccupans hominum conditionem, quos in ipso statim vestibulo vitæ natura abiicit ad lacrymas. Enimuerò præcox ille infantis ploratus id videtur significasse, quod postea in eo adulto est obseruatum. Eam quippe tenuit viuendi rationem, vt non modò ex humanis rebus, quas alta quadā animi celsitudine, & constantia semper despexit, nullam perciperet oblectationem; sed etiam ad deplorandas huius vitæ miserias, & mortalium scelera assiduo fletu prosequenda natus esse videretur. Editus in lucem statim matre caruit,

ruit, vt dictum est. Non multò pòst, in tenera admodum ætate, patrem quoque amisit. Vtroque igitur parente orbatus, Philippæ Vigleniæ sorori, quæ Ludouico Aluaro de Tauora Mogadurij dynastæ in matrimonio erat, penè infans adhæsit. Atque hic, vnà cum Aluaro fratre, vt in ampla & bene morata domo, splendidè & honestè educatus est. Cùm verò iam tunc in illo multa conspicerentur præstantissimæ indolis indicia; tum vel maximè quoddam eximiæ virtutis in viro futuræ specimen eminebat. In pueritia enim non crepundia, non puerilia ac ludicra sequebatur, more puerorum; in adolescentia, non equitatione, non aucupio, non corporis ornatu, non huiusmodi aliis, quibus ea capitur ætas; sed sanctorum librorum lectione, recitatione precum, eleemosynarũ erogatione, rebusque talibus delectabatur. In pauperes, & calamitosos adeò erat propensus, vt magno semper studio eorum causas ageret, à suis per se petens & colligens stipem, qua posset eorum miseriis vtcunque succurrere. Pacem iam tunc sic adamabat, vt siquando sciret, aliquos esse pueros, qui vlla ex causa inter se dissiderent, eos quamprimum in pristinam amicitiam, & familiaritatem reducere curaret. Nec erat inanis labor; sicut enim inter æquales splendore generis, & morum probitate præstabat; ita apud eosdem, vt in ea ætate, tantum auctoritate valebat, vt eius monitis, & consiliis facilè omnes acquiescerent. Cùm quis ex egenis & infimæ sortis puerulis in morbum incidebat, quominus ipsum per se inuiseret

uiseret

uiseret, & aliquod ad releuandum morbum siue pecuniæ, siue rei alterius subsidium ferret, neque ægrotantis humilitate, neque tenuitate fortunæ, neque vilis tecti sordibus deterrebatur. Induci nunquam potuit, vt vinum biberet; à quo etiam vsque ad mortem semper abstinuit. Estque illud hac in re non iniucundum scitu; quòd ad septimum ferè ætatis annum (quo tempore dentium in hominibus fit mutatio, primisque decidentibus sufficiuntur noui) quando illi dens aliquis extrahebatur, vt locum cederet venienti, rogatus vt tantùm os ablueret vino, quo solidiùs nouum dentem gingiua constringeret, adeò in proposito constans persistebat, vt impensè negaret, vlla vnquam ex causa ab eo se discessurum. A mendaciis, quæ solent esse puerili ætati familiaria, sic abhorruit, vt ne per iocum quidem, quidquam proferret, quod crederet à veritate alienum. Iam enim tunc, doctore Numine, agnoscebat, vilis & abiecti animi esse, quacunque de causa falsa pro veris dicere; cumque mentiri per se turpe sit, tum verò nobili viro, cuius magnum ornamentum simplex veritatis assertio est, multo esse turpissimum. Contigit, vt nescio quid puerile Aluarus & Gonzalus de communi sententia commiserint, ad Tauoram sororis virum, sub cuius tutela & disciplina erant, res delata est. Vocati ab ipso vt de facto redarguerentur, Aluarus vitioso quodam pudore quidquam se fecisse pertinaciter negauit; Gonzalus contrà honesta ingenuitate subitò rem, vt gesta erat, confessus, se reum agnouit

agnouit. Hic verò Tauora, vir eximiè prudens, tam facilem vnius confessionem, tam constantem alterius negationem æquè admiratus, vtri esset credendum, tantisper dubius hæsit. Tum iram vultu simulans, & ad Gonzalum conuersus, Itáne, inquit, bone vir? Non fuit satis fecisse malum, sed illud quoque addendum, vt te eius auctorem tam inuerecundè, tamque impudenter faterere? Me verò, mi domine, ait Gonzalus, facti quidē non modò pudet, verumetiā pœnitet: multò tamen magis inuerecundum me, atque impudentem crederem, si mendacij culpam facto adiicerem, vellemque turpi negatione debitum supplicium deprecari. Quid à perfecto viro dici poterat sanctius, aut prudentius? Hæc quidem diuini Spiritus occulta vis est, cuiuscunque in animum peruadit, eum sic erudit, vt in tenerrima etiam ætate, super senes intelligat. Prima legendi, & scribendi rudimenta domi edoctus à Tauora missus est ad Franciscanos, ab iis vt Grammaticam doceretur. Habebant hi monasterium, cui à sancta Margarita nomen, haud longè à Mogadurio, ex altera Durij parte in Castellæ finibus situm. In eo Gonzalus à religiosis illis patribus Latinæ Grammaticæ simul, & virtutum initiis imbutus arctum pietatis, ac veræ submisionis iter, quod erat postea alto & excelso animo peracturus, cœpit agnoscere. sic aspera illa ac planè difficili viuendi ratione est delectatus, vt rerum earum, quibus apud suos blandè & deliciosè tractabatur, desiderium penitus memoriāque deposuerit. Dum in eo mona-

naste

nasterio fuit, cùm à domo sororis non longè abesset, raró ad eam ventitabat. Quanta autem arderet discendi cupiditate, ex eo perspici potest, quòd studij causa bonam noctis partem ducebat insomnem. Eóque interdum vigilans puer in suas illas literulas incumbendo progrediebatur, vt cubicularius seruus, cuius opera dum cubitum ibat, in præparando lecto, & exuendo corpore vti solebat, expectando defessus, somno succumberet; quem ipse, cùm à studio ad cubiculum se colligebat, dormientem reperiens, ne molestè expergefaceret, sic vt erat vestitus, ac sedens, quidquid erat noctis reliquum, modico somno capto peragebat. Itaque in his, cæterisque in rebus eo se modo Gonzalus puer gerebat, vt religiosi patres tantam in tam tenera ætate constantiam, in tam delicato corpore seueritatem, in tam alieno tempore industriam oculis animóque lustrantes, planè obstupescerent. Illud tandem de Gonzalo compertum est, in tota pueritia eam seruasse animi moderationem, vt quod est in magnis viris perrarum, neminē vnquam, neque ex suis, neque ex alienis re aut verbo vel leuiter offenderit.

Ad per



Ad persequenda literarum studia Conimbricam missus, Societatem Iesu ingreditur.

CAP. II.

VBI Gonzalus decimum septimum attigit ætatis annum, à comite Iacobo Sylueria fratre maximo, paterni status hærede, Conimbricam mittitur, vt cœpta studia persequatur. Dum in ea Academia fuit, in qua magno cum fructu annos aliquot insumpsit, in celeberrimo illo habitauit regularium canonicorum cœnobio, quod à sancta Cruce nuncupatur. Qui locus ipsi erat & ad vitanda hominum commercia, quod maximè optabat, & ad exercenda virtutum literarúmque opera ex animi sententia peraccommodus. Optimis igitur moribus & disciplinis animum diligenter excoluit: atque in eo amplo & ancipiti Lusitanæ iuuentutis theatro, omnibus scholasticis, præsertim nobilibus, castimoniæ, modestiæ, pietatis, atque vt vno verbo dicam, vitæ cuiusdam verè Christianæ, hoc est, immaculatæ ac puræ rarum præbuit exemplum. Fuerat non ita pridem Ioannis tertij Lusitanorum Regis munificentia, & liberalitate extructum Societati Iesu Conimbricæ Collegium, in qua perpauci tunc socij, atque ij magna ex parte non tantùm laici, sed etiam alienigenæ, & adeò nullo habiti in pretio, vt nomine

mine

mine ridiculo Franchinotes vulgò dicerentur. Sic à Lusitanis appellari solent viles quidam,& pauperes ex Septentrione homines, qui rerum egestate in patria oppressi,ad externas se gentes conferunt; vrbésque & oppida pererrantes inconditis cantibus plateas implent,victum ostiatim emendicando. Tales propemodum erant eo tempore illi ipsi societatis homines, qui Conimbricense Collegiũ primi incoluere, Ignoti, ad speciem, viles, nulla literarum, nulla nominis vllius commendatione clari, rebúsque iis, quæ popularem beneuolentiam captare solent, ita destituti, vt ne vnus quidem apud eos esset, qui posset cõmodè apud populũ habere de rebus diuinis concionem. Vno tantùm vitæ exemplo erant clarissimi. Atque hoc vno sic in animos Academicorum penetrarunt,vt eorum plurimos,qui in tota Conimbricensi Academia generis claritate inter cæteros præstabant, ad sui imitationem, ad idémque institutum amplectendum pertraxerint. In his fuere Gonzalus Syluería, de quo agimus, Rodericus Menesius, Leo Henriquius, Ludouicus Gonzalus de Camera, pluresque alij ex prima regni nobilitate, ipsisque Lusitaniæ,& Castellæ Regibus coniunctione sanguinis propinqui, quos & alij honestissimi viri grauitate, & literis præcellẽtes secuti sunt. Vbi Gonzalus in societatem receptus est, quamprimum hominum ex oculis ac luce sese abripere statuit. Cumque certò sciret, grauissimũ sibi suis cũ fratribus,& propinquis de societatis ingressu certamen futurum, nisi eorum

conspe

conſpectum atque impetum declinaret; ſuperiorum conſenſu in locum ſeceſſit multis Conimbricâ leucis remotum. Ibi dies complures ſecum ipſe, cumque Deo ſolus agens, ſpiritualibus ſe meditationibus diligenter exercuit, agitâs animo, quàm ſit fallax, quámque inconſtans humana vita; quantis res mortalium fraudibus inuoluãtur; quàm nullo in pretio habenda ſint, quæ plerique magni æſtimant, quorumque cupiditate irretiti in perniciem miſerè trahuntur. Multa inſuper euoluens de pulchritudine diuina, de ſempiterna felicitate, de fidei noſtræ myſteriis; multa denique de Chriſto Opt. Max. humanæ libertatis vindice, quem vnum deſtructo vetere homine arctiſſimè amplecti exoptabat.



Circa ſuſceptum vitæ inſtitutum grauiter oppugnatur.

Cap. III.

HÆc tam diuturna, támque longinqua Gonzali ſeceſſio Comitem fratrem, ceteróſque propinquos valde tenuit ancipites. Nullum interim non mouerunt lapidem, vt quo eſſet terrarum loco, quidve ageret, agnoſcerent: ſed fruſtra, ita Societatis Patribus rem celantibus, ac ſi omnino eſſent ignari. Verùm ſimulatque Conimbricam rediit, delatumque ad propinquos eſt, illum in Societatis Collegio eſſe; eò

protinus, veluti facto agmine, accurrunt omnes; atque vt eius sibi videndi & alloquendi copia fiat, vehementer contendunt; idque vt sine vlla dubitatione obtineant, literas superiori offerunt super ea re datas à Rege. Repelli eorum petitio non potuit, regia præsertim auctoritate suffulta. Prodit in medium Gonzalus, & hinc inde impetentium iaculis exponitur. Multa Comes, multa cæteri propinqui contra nouum illud, quod erat amplexus, instituti genus liberè effutiunt. Benignè primùm ac blandè agunt; seuerè deinde ac minaciter. Pollicentur magna, si susceptum consilium sapienter deserat. Minantur grauia, si pertinaciter retineat. Igitur quà blanditiis, quà minis constantem animum à proposito reuocare nituntur. Aderant quoque Religiosi viri iniqua Comitis Iacobi miseratione commoti, qui sub specie pietatis negotium aggressi, eo Gonzali firmitatem oppugnant fortiùs, quo agunt fraudulentiùs. Hæc verò eorum ferè oratio fuit; Attendat diligenter, quid agat, quámve inire tentet viuendi rationem. Haud semper recta esse, quæ videntur; Deoque placere non posse, quæ temerè fiunt. Ne religiosum capessere debeat institutum, causam esse per se magnam ac planè iustam, si frater, quem parentis loco habeat, si propinqui (qui verò & quales viri) molestè id ferant; sciat autem eos id ferre molestissimè. Quòd si tanta in ipso sit religiosè viuendi cupiditas, vt omnino velit suos derelinquere, iisque inuitis ac repugnantibus intra priuatos alicuius cœnobij parietes, vbi viuat

in

inglorius, ſeſe abdere; alios eſſe religioſorum ordines antiquos ac nobiles, ex quibus vnum aliquem deligere queat dignitati ſuæ aptiorem; ſocietatis familiam & nouam eſſe, & ignobilem, ſibique ac ſuis ſimilibus minimè congruentem. Non eſt paſſus Gonzali animus diuini amoris facibus mirificè incenſus, atque ad humillima queq; & abiectiſſima prōptiſſimus, tam friuolas, tamque ineptas rationes longiùs protrahi. Plura parantes dicere, ſic interpellat: Quid ignobilitas, inquit, quid obſcuritas, ac nouitas religionis mihi obiicitur? An ego religioſum inſtitutum propterea ſequor, vt terrenos aſſequar honores, aut nomen hominibus commendem meum? O inſana cogitatio! Chriſtum quæro; eius cauſa contemni volo; eius opprobriis ſaturari cupio. Quid enim velle aliud poſſum, cùm meos, & meipſum relinquo, atque omnem mihi rerum mearum ſpem ab humanis præmiis eripio? ſi in hac Societate Ieſu (ad quam ſum à Deo vocatus, quamque ſumma animi non ſolùm voluntate, ſed etiam voluptate amplector, id mihi contingat, vt vllo abſque nomine ſpretus ab omnibus, ac prò nihilo habitus, vitam humilem & abiectam viuam, vt nihil mihi optatius eſt, ita nihil euenire poterit iucundius. Agite dum, meliora de diuinis rebus cogitate, idque etiam, atque etiam intelligite, rem nullam in terris eſſe, quam huic nouæ & ignobili Societati anteponam. Illa mihi cariſſima mater eſt; illa vna omnes, quæ mihi cum quolibet ſunt, propinquitatis rationes ſic amplectitur, vt o-

mnium etiam amplectatur caritates. Quamobrem ita me vis diuina in proposito corroborat, vt si ipsi parentes mei adhuc essent super, méq; ab ipso deiicere conarentur, non modò surdas illorum precibus aures præberem; sed Hieronymi quoque consilium secutus, per eosdem calcatos pergere non dubitarem. His dictis impositum omnibus silentium; iniectus etiam religiosis pudor. Gonzalus verò ea molestia, & solicitudine liberatus, tanto animi ardore cœpit cum mundo bellum gerere, vt nihil esset, quod magis haberet exosum. Oderat enim quę ille diligit; diligebat, quæ odit: reputabat vilia, quæ magni æstimat; magni æstimabat, quæ vilia reputat. Atque in hunc modum per omnia mundo aduersus, præter ignominias Crucis nihil aliud expetebat. Seculares ergo vestes, quibus adhuc induebatur, subitò deposuit; eorũq; loco viles accepit & laceras, quibus tanta cum lætitia vtebatur, vt in hisce religiosæ vitę initiis ægerrimè ferret, relictum sibi sericum thoracem, quo superioris iussu, super induta ferruginei coloris veste per aliquod tempus coactus est vti. Vnde data egregio tironi acerbè se incusandi opportuna occasio, deque animi submissione, & paupertatis virtute benè merendi copiosa seges. Quoties enim horis matutinis thoracem sumebat in manus, vt illo se indueret, assidua hæc erat induentis vox, Hem miser, & ærumnose, quid rebus adhuc inanibus tam tenaciter hæres? quando remittes nuntium vanitati tuæ? Non te pudet Ægypti spolia cum religiosa paupertate coniungere?

gere? Quæ conuentio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial? Eia ſpiritus iſtos iam depone, planè tumidos; & qui te religioſæ diſciplinæ addixiſti, incipe tandem religiosè viuere. Hæc ſibi Gonzalus, idque genus alia tam ſeuerè obiiciebat, tantóque virtutis ſtudio ſeſe in rebus omnibus inſectabatur, vt ſæuiſsimus ſui ipſius carnifex haberetur.



Aſſiduo virtutum exercitio animum excolit.

Cap. IV.

A Primo ingreſſus ſui in Tirocinium die, in eam curam & cogitationem incubuit, vt domito ieiuniis, vigiliis, verberibus corpore, & auulſis penitus prauarum affectionum ab animo radicibus, nihil prætermitteret, quod ad excolendam veris, ſolidíſque virtutibus mentem, vlla ex parte conduceret. Erat in operibus pietatis inter primos; in demittendo ſeſe, ac deſpiciendo nulli ſecundus. ſi quid eſſet, ex quo ab aliis illudi, & contemni poſſet, ad id, vti ad deſtinatum ſibi à natura locum, grauium ac leuium corporũ in morem, inſito quodam impulſu ferri videbatur. Quę hoc in genere præſtitit, adeò magna ſunt, & ardua, vt ea quiuis mirari potiùs debeat, quàm æmulari. Nam & ſupercilia aliquando ſibi abraſit, vt fieret deformis, & inui-

ſus;& ſtultitiam vultus mutatione ac geſtu corporis nonnunquam ſimulauit,vt deſpicatui duceretur. Erant in Conimbricenſi Collegio Æthiopica quædam, vel Indica ſeruitia ad vſum culinæ atque ad alia domeſtica officia dono data. Hæc Gonzali curæ commiſſa, vt iis neceſſaria animo & corpori miniſtraret. Illum crederes ipſorum mancipiorum eſſe mancipium, tanta in eorum famulatum ſolicitudine incumbebat. Si quando aliquod ex iis incidebat in morbum,lectum illi ſternere,medicamenta adhibere,cibos apponere, & manu ſua, cùm erat opus,in os inferre; nihil prætermittere, in quo exultare caritas,& Chriſtiana humilitas poſſent. Inter hæc tamen officia præferebat vultu eximiæ cuiuſdam internæ hilaritatis aperta ſigna, vt tanquam hilaris dator diligeretur à Deo; deque ſtudio orandi nihil prorſus intermittebat, cùm impedito externis operibus corpore, diuina animo volutaret, & interim dum mancipia ederent, nonnihil ab eorum conſpectu ſecedens ſeſe in preces funderet. In cultu corporis erat exquiſitè negligens ſui:conſultò ſinebat veſtes ſordeſcere, & beſtiolas ex ſordibus gigni viſu fœdas,& morſu moleſtas, quo noxius eſſet ſibi, & ingratus aliis.Beſtiolarum tanta erat copia, vt ex corpore ipſo, atque ex veſtium commiſſuris,veluti ex cauernis, cateruatim erumperent foras, nec ſine aliqua intuentium nauſea in conſpectũ ſe darẽt. Monitus aliquãdo à Comite Iacobo,ne tale pecus tam curioſè paſceret,à quo & torqueretur ipſe, & aliorũ oculi abhorrerent,

Hæc

Hæc ego, inquit, animalcula Comitatui tuo longè antepono. Dum enim illa mihi ſubmiſſionis animi, & tolerantiæ materiam præbent, æterna bona conſequendi magnam offerunt opportunitatem. Comitatus tuus quid habet boni? Terrena quædam miſeria eſt. Simile accipimus de re eadem dediſſe reſponſum Ioanni Soario Arganilio Comiti,& Conimbricenſi Antiſtiti: ſimile aliis illuſtribus viris, quos eius miſeratio ad eum monendum commouebat. Sæpe domi lateres, & cæmenta, vt ſolent viles operæ, ad Conimbricenſis collegij, quod tunc ædificabatur, ſtructuram humeris vectabat. Sæpe prodibat in publicum,vt videntibus ludibrio fieret, lacera & attrita veſte indutus,ac ſine pallio; vrbíſque vicos & plateas pererrans oſtiatim victum quæritabat. Sæpe etiam eodem corporis habitu agaſonem agebat, perque mediam vrbem ad Mūdæ fluminis ripas ducebat aſellum; collecta ibi ad vſum fabricæ, receptáque in ſaccos arena, reducebat oneratum;effuſa ad ſpectandum populari turba, in qua ſimul erant amici,& noti;interdúmque aliqui ex iis, qui in eius famulatu fuerant;atque hi rubore ſimul,& ſtupore pleni ab occurſu pedem,à ſpectaculo oculos retrahebant. Contigit aliquando, vt iumentum agens,Aluaro fratri improuiſus inopinatuſque occurreret;Aluarus ſubita præoccupatus verecundia, vultúmque demittens, neque prætereuntem ſalutauit,neque intueri auſus eſt. Gonzalus contrà lætitia geſtiens, ſolito agaſonis more,& voce ſimul,& virga aſinum ad pro-

grediendum excitauit, reputans apud ſe, turpe eſſe, in iis quæ Dei amore fiunt, vt natura ſua viliſſima ſint, & humanis oculis fœda, vllo modo verecundari. Solis quippe vitioſis operibus deberi pudorem, qui proprius eſt peccati comes: Religioſo autem ſemper eſſe decora, quæ pietatis cauſa & religiosè fiunt; quod ſcriptum reliquit magnus ille Baſilius, quem religionum parentem verè poſſumus appellare. De corporalibus enim religioſorum hominum miniſteriis ſermonem inſtituens, religiosè docet non eſſe viro Deo dicato indecorum, inſtar agaſonis agere iumenta, cùm res poſtulat; id enim Chriſti Apoſtolos feciſſe, cùm eiuſdem Chriſti iuſſu aſinum ad ipſum adduxere, vt eo inſidens, triumphantis more, Hieroſolymorum vrbem ingrederetur.



Animarum ſaluti operam nauans aſperam tenet viuendi rationem.

CAP. V.

DVM ad excolendum hiſce virtutum operibus animum ſedulò Gonzalus incumberet, literas, quibus interim operam dabat, nulla ex parte neglexit: quin potiùs ita virtutis, & ſapientiæ ſtudia coniunxit, vt maximos vtraque in re progreſſus fecerit. Quamquam verò ſemper illi animarum ſalus cariſſima fuit; nec quid

quidquam contrà prætermittebat, quod ad ſpiritualem proximorum vtilitatem quoquo modo conferret; impoſito tamen literarum ſtudiis fine, ex vmbra veluti in arenam prodiens, ad rem Chriſtianam vitæ exemplo, & concionatoriis exhortationibus promouendam, totum ſe ac penitus conuertit. Non vno verò, aut altero tantùm conſiſtebat loco; ſed Luſitaniæ vrbes, oppida, pagos, atque ipſas etiam agricolarum villas, & paſtorũ caſas frequenter peragrabat. Nullis item occupationibus diſtentus hanc iuuandi mortales rationem intermittebat, ſiquidem non ſolùm tum, cùm erat priuatus, ſed etiam cùm ſuperioris officio fungebatur, aliis ſe negotiis exoluens, verbi diuini diſſeminandi cauſa, in vicina vrbi loca excurrebat. Cæterùm faſſum à concionum laboribus corpus ita erat ſolitus tractare, vt perire tantumnon ſineret. Cùm eſſet Conimbricæ, domum ſe è pulpito recipiens, cibarij panis fruſtum à promo condo petebat; eo accepto conferebat ſeſe ad locum ſecretum; is erat culinæ vicinus, ſolitarius, & infrequens; ibi ligno inſidens, tam auidè ſuum illum comedebat panem, vt maiorem ex eo, quàm ex ſuauiſſimis quiſque epulis voluptatẽ perciperet: reliquo tamen die prandij loco nihil attingebat. Vbi Societatis domicilium non erat, extrahebat è pera fruſta panis oſtiatim emendicata, eaque apponebat menſæ, & cibis cæteris, quanuis exquiſitis & pretioſis, longè præferebat, cùm ex aliis vel prorſus nihil, vel ſi aliter fieri non poterat, ex minùs exquiſito,




Propinquorum consuetudinem, & negotia deuitat.

CAP. VI.

CVM ea sit in coniunctione sanguinis insita à natura vis, vt illos etiam, qui humanis affectionibus prorsus exui, & rectà ad Deum tendere cupiunt, vehementer ad se alliciat; primum plerumque atque omnium pænè grauissimum in spirituali militia, aduersùs carnem & sanguinem certamen est. Nam qui Imperatori Christo nomē dederūt, ad illud vnū omnes industriæ suæ neruos debēt intendere, vt ipsos etiam parentes, quos natura fecit carissimos, sancto illo persequantur odio, à quo perfectionis via, eodem Christo duce, & magistro, debet inchoari. Apertissima enim illa eius est in Euangelio vox, qui non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Hæc causa fuit, cur Abrahamus ille credentium pater dictus, quem Deus voluit esse perfectum quoddam religiosi hominis exemplar, cùm de vrbe Chaldæorum (qua in vrbe species quædam seculi est) iam semel exiisset, diuino rursus imperio relinquere Aram, deque terra & cognatione sua iubetur exire. quod cum ille prompto, & alacri animo, nulláque propinquitatis, aut necessitudinis ratione habita, præstitisset; tandémque & nepotem Lothum, & reliquos

liquos consanguineos, ac notos penitus deseruisset; mox à summo rerum principe ac rectore Deo, veluti manu apprehensa, ad absolutissimæ cuiusdam perfectionis fastigium perducitur. sic est. Abrahamo similes esse oportet, qui se Deo consecrant, vt pręclaris animi donis ab ipso cumulentur. Mirum, quàm se industrium hac in re Gonzalus exhibuit. Pauca referam è multis, quæ tamen eiusmodi sunt, vt si quis ea æquis ponderibus pendat, summis illum viris fuisse parem, affirmare non dubitet. Venit aliquando Conimbricam Comes Iacobus, eius tantùm visendi gratia. stipatus suis ad Societatis Collegium accedit. vocari ad se Gonzalum petit. Exponitur fratri Comitis aduentus & causa. Negat ille hominem se agnoscere, aut quidquam negotij cum illo habere; redeat fausto Numine, vnde profectus est; aut alium quærat, quo cum loquatur; sibi enim neque opus esse, neque commodum. Non est inficiatus id, quod erat, Comitem sibi esse optimè notum, séque eius germanum esse fratrem: sed illum imitatus est Spiritum, quo supremus hominum doctor Christus ad populum Iudæorum aliquando verba faciens, cùm adesse matrem suam & fratres ipsum quærentes à quodam audiisset, quasi matrem, aut propinquos non haberet, respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, & soror & mater est. Quo loquendi genere docere voluit, vt Basilius monet, non alios

se



Propinquorum consuetudinem, & negotia deuitat.

CAP. VI.

CVM ea sit in coniunctione sanguinis insita à natura vis, vt illos etiam, qui humanis affectionibus prorsus exui, & rectà ad Deum tendere cupiunt, vehementer ad se alliciat; primum plerumque atque omnium pænè grauissimum in spirituali militia, aduersùs carnem & sanguinem certamen est. Nam qui Imperatori Christo nomē dederūt, ad illud vnū omnes industriæ suæ neruos debēt intendere, vt ipsos etiam parentes, quos natura fecit carissimos, sancto illo persequantur odio, à quo perfectionis via, eodem Christo duce, & magistro, debet inchoari. Apertissima enim illa eius est in Euangelio vox, qui non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Hæc causa fuit, cur Abrahamus ille credentium pater dictus, quem Deus voluit esse perfectum quoddam religiosi hominis exemplar, cùm de vrbe Chaldæorum (qua in vrbe species quædam seculi est) iam semel exiisset, diuino rursus imperio relinquere Aram, deque terra & cognatione sua iubetur exire. quod cum ille prompto, & alacri animo, nulláque propinquitatis, aut necessitudinis ratione habita, præstitisset; tandémque & nepotem Lothum, & reliquos

liquos consanguineos, ac notos penitus deseruisset; mox à summo rerum principe ac rectore Deo, veluti manu apprehensa, ad absolutissimæ cuiusdam perfectionis fastigium perducitur. sic est. Abrahamo similes esse oportet, qui se Deo consecrant, vt pręclaris animi donis ab ipso cumulentur. Mirum, quàm se industrium hac in re Gonzalus exhibuit. Pauca referam è multis, quæ tamen eiusmodi sunt, vt si quis ea æquis ponderibus pendat, summis illum viris fuisse parem, affirmare non dubitet. Venit aliquando Conimbricam Comes Iacobus, eius tantùm visendi gratia. stipatus suis ad Societatis Collegium accedit. vocari ad se Gonzalum petit. Exponitur fratri Comitis aduentus, & causa. Negat ille hominem se agnoscere, aut quidquam negotij cum illo habere; redeat fausto Numine, vnde profectus est; aut alium quærat, quo cum loquatur; sibi enim neque opus esse, neque commodum. Non est inficiatus id, quod erat, Comitem sibi esse optimè notum, seque eius germanum esse fratrem: sed illum imitatus est Spiritum, quo supremus hominum doctor Christus ad populum Iudæorum aliquando verba faciens, cùm adesse matrem suam & fratres ipsum quærentes à quodam audiisset, quasi matrem, aut propinquos non haberet, respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, & soror & mater est. Quo loquendi genere docere voluit, vt Basilius monet, non alios

se

ſe propinquorum habere loco, niſi qui ipſius æterni Patris mandatis,vt obſequentes filij,perfectè obtemperant. Receſſit igitur Comes, nec ſalutato fratre,nec viſo;tantũque abeſt,aliquem vt illi ſtomachum res iſta mouerit,vt contrà valde miratus, magnam ex ea perceperit voluptatem;quod re ac verbis ſtatim declarauit. Nam cùm Collegij Rector, factus rei certior, mandare Gonzalo vellet, vt ad fratris colloquium accederet; negauit Comes id ſibi gratum eſſe, cùm ſciret Gonzalo, de cuius eximia ſanctitate vel ex eo facto ſatis magnam imbiberat opinionem,fore moleſtum. Multa Gonzalo à fratribus, à ſororibus, à reliquis propinquis mittebantur munera;ſed vt erat religioſæ paupertatis amantiſſimus, ea ille omnia, quamuis non ſine mittentium dolore, ad eoſdem ferè ſemper integra intactaque remittebat:niſi quòd aliquando, ne ſuorum beneficentiam videretur ſuperbè contemnere, ex conditis ſaccaro cibis in ægrotantium vſus aliquid accipiendum putabat; ſibi certè, ne rem quidem minimam, etiam cum iure poſſet, vnquam retinuit. Sextum agebat Societatis annum, cùm Tauora & Philippa ſoror diuerſi generis xenia onuſtis mulis Conimbricam ad eum miſere. Poterat ex ſuperioris facultate,Collegij nomine,atque in communes vſus ea accipere: negauit tamen quidquam ſe accepturum,eo quòd ad ſe vnum mitterentur, qui omni ſe beneficio agnoſceret indignum. Verùm ne perſonas tales,eo præſertim tempore,triſtitia afficeret,vtriuſque cognita, ac perſpecta voluntate

tate, ingentibus actis habitisque ex animo gratiis, mulos ipsos, sicut erant onusti, partim ad carceres, partim ad nosocomia abire iussit, vt vinctis simul & ægris, prout quibusque opus, & cõmodũ erat, omnia distribuerẽtur: quod & tũc quidẽ & iterũ postea in simili euẽtu præstitũ est. Interim cùm alteram è Gonzali sororibus viro opibus & nobilitate pari vellet Comes Iacobus in matrimonium collocare, consilium cum Gonzalo communicat, vt eius approbatione & auxilio negotium peragat. Rem ille sibi expositam risu excipiens, Miror, inquit, Comes inclyte, eam tibi fuisse mentem, vt non solùm hoc tuum mihi propositum aperires, sed etiam negotioso ac permolesto labore animum velles fatigare meum. An æquum tibi videtur, vt quod vitæ institutum tanto studio fugi, id ego cuiquam suadeam, vt sequatur? Iniustus planè sim, si alterius humeris id onus velim impositum, quod ideo subire nolui, quia grauissimum iudicaui. Quin etiam illud omnino te scire cupio, quò minùs interpretem hac in re, aut proxenetam agam, ab Hieronymo viro sanctissimo grauiter mihi interdici, cùm dicat turpe esse, vt is, qui alios ad castitatis amorem publicis concionibus excitat, eosdem ipsos suo priuato consilio, siue quod fœdius est, impulsu, ad matrimonij onera inducat. Si placet cum aliis propinquis communicare huiusmodi consilium, eosque operis socios & adiutores adhibere, præstò tibi erunt ex seculari ordine quamplurimi, qui negotium suscipiant animo facili, & ad exitum

perdu

perducant ſucceſſu feliciori:religioſos enim homines, hoc eſt, dicatos Deo, non niſi religioſa decent, & diuina; quos à curis aliis tam oportet abeſſe longè, quàm à quibus longiſsimè. Quòd ſi aliquando ſecùs faciunt, atque iſtis ſe tricis ſinunt implicari, id plerumque præmij loco habent, vt quos matrimonio coniunxere, ſi quando ij (quod euenire ſæpe ſolet) faſtidio & moleſtiis affecti, ſtatus ſui onera, miſeriaſque deplorāt, in religioſos ipſos, veluti in auctores malorum, omnes ſuas querimonias, execrationes, maledicta refundant. Ita Dei prouidētia iuſtiſſimè decernente, vt qui ſecùs, ac debent, in alios volunt eſſe officioſi, eadem ipſa re, qua officium præſtant, malè collati officij meritas pœnas luant. Hunc in modum facilè Gonzalus fratri perſuaſit, ad ſuadenda procurandáque matrimonia non illos eſſe quærendos, qui ſicut peculiari vitæ ratione ab his negotiis valde ſunt alieni, ita ferè ſine aliquo animi ſui damno, & religioſi ſtatus indignitate vix ea poſſunt pertractare.



Superiorum iuſſu ſcribit ad ſuos.

CAP. VII.

QVò ſe magis à propinquorum oculis auertebat Gonzalus, eò ab iis quærebatur ardentiùs. Quia tamen nec præſentem videre, nec loquen

loquentē audire poterāt, id curabāt, vt aliquid saltē literarū ab ipso quādoque acciperēt. Quāobrē cùm probè nossent, si res eius arbitrio relinqueretur, nihil se habituros, ab ipsius superioribus petebāt, vt ad eos Gōzalus aliquid aliquādo scriberet, mādato suo cogerēt. Hoc ergo beneuolentiæ in suos officiū rarò quidē, nec aliter quàm iussus præstabat. Illud verò semper illi in scribendo statum, ac solemne fuit, vt neque elegantiæ flores sectaretur; neque vllo vteretur verbo ad vanitatem composito; neque de rebus aliis, quàm de virtutibus, deque iis, quæ ad rectam viuendi rationem pertinent, quidquam exararet. Vnam hîc ponam ex eius epistolis, inter scripta Tauoræ repertam, & pietatis ergò ab illo seruatam, quæ ex Lusitano in latinum sermonem fideliter conuersa hunc efficit sensum. Ex ea argumenta reliquarum, & scriptionis formam licebit colligere. Ludouico Aluaro de Tauora, & Philippæ eius vxori salutem. Eam vobis Deus in hac mortali vita felicitatem concedat, vt & maioribus in dies cælestis gratiæ muneribus compleamini, & omnibus, quibus estis noti, veræ cuiusdam ac solidæ virtutis viua exemplaria sitis. Aliud, quæso, ex me non expectetis, quàm vt vobis Christi Opt. Max. in me atque in vos, & in omne genus hominum beneficentissimam caritatem inculcem. Quidquid boni habemus ab illo vno est. Dum me de Christo, deque innumeris eius collatis in me beneficiis per literas dicentem auditis, nihil est quòd sitis de me soliciti. Nisi for-

tè id vos mouet, vt mei misereamini, quòd talem dominum, quem serò planè agnoui, tam in me munificum ac liberalem, non vt decet, colo ac veneror. Domini mei, à Domino meo Iesu vnicè dilecti, si apud vos præsens essem, nihil vobis aliud dicerem, nihil omnino suaderem, nisi vt toto animi conatu in Christi amorem incũbatis. Cùm enim præpotente dextra ex miserrimo vitæ statu ad perbeatam quandam viuendi rationem, qualis esse in terris potest, me traduxerit, quid dubium, quin & vos ita suo roboret auxilio, vt ad omnẽ sanctitatem læti alacresque nitamini? Ne, obsecro vos, patiamini perdi, ne perdi, inquã, patiamini tã multa, ac tam magna lucra, quæ ex diuina beneficentia habere potestis. Percipite animis, quę dico. Nõ satis vobis sit, eos attigisse virtutis limites, quos Deo iuuante attigistis. Attendite, quantũ vobis & cæteris hominibus virtutis spatium supersit decurrendum. Contendamus summa celeritate ad Christum principem ac Dominum rerum, cui morem gerere, cuius parere præceptis, cuius laudi & gloriæ seruire non ita possumus, quin semper, quantuncunque diligentem sedulamque ipsi nauemus operam, debitores existamus. Ille enim vt à peccati seruitute in libertatem filiorum Dei nos assereret, & eximiis virtutum donis animos nostros exornaret, ab ipso ortu vsque ad obitum per omnia aspera atque aduersa vitam trahens, nihil mali non pertulit, quod ad vtilitatem nostram iudicaret esse perferendum. Itaque vitam ipse suam totam nobis atque integram dedit.

Iam

Iam verò si Christi Iesu mortem animi oculis subiiciamus, quis non videt, quanto ab eo interuallo distemus? Mortem ille subiit, qua nulla fuit, aut vnquam erit, nec acerbitate pœnarum sæuior, nec iniuriarum magnitudine contumeliosior. Quis tanta erit præditus animi duritie, qui non summopere commoueatur, dum ipsum mente concipit tanta pressum mœstitia, tanta ignominia affectum, tam desertum à suis, tam grauiter cæsum, tantis doloribus exanimatum? Cogitate sæpe vobiscum immensum erga nos Christi Iesu amorem, & eius recordatione animos vestros recreate. Cur ad vos tam raro scribam, ea causa est, quoniam non mihi rescribitis, maximum in animis vestris erga Christum Iesum meis literis amoris incēdium excitari, dum eius mortem caritatis plenissimam ante oculos vobis propono. Si ego literis meis hoc non assequor, vt ardentissimo Christi amore inflammemini, quid verba perdo, aut quid attinet scribere? Incipiat domina mea & soror dilectissima Philippa (quando illi ad vacandum Deo tanta & loci & temporis opportunitas est) incipiat, inquam, ab hodierno statim die ad Christi vsque natalitia hisce Christianæ pietatis commentationibus animum exercere, diebus singulis vnam vel alteram, si placet, diuinis rebus impendat horam. Quæ à Deo beneficia accipiat; qualis illa sit, quam se sperat assecuturam, cælestis patriæ felicitas; quanta sit diuinæ sapientiæ, quanta diuinæ potentiæ vis, sæpiùs animo euoluat. Atque vt hæc meliùs præstare queat, fusis

identidem lacrymis, & frequenti peccatorum confeſſione conſcientiæ maculas eluat; ab omni prauo affectu animum diligenter cuſtodiat, & piis ipſum ac ſublimibus rerum cæleſtium deſideriis accendat. Duo hoc ex opere præcipuè commoda ſecutura polliceor. Vnum eſt, quòd & ipſe dominus Ludouicus ſancto motus exẽplo, eandem ſectabitur pietatis viam. Alterum, quòd inter hæc virtutum exercitia plus honoris ac fructus, minuſque moleſtiæ & laboris habebit filiarum educatio. Hoc tantum deſidero; in meis literis legant neptes meæ, quò rectè tendant ad Deum. Hac vna in re volo me auunculum agnoſcant, & qua debent, obſeruantia monenti obtemperent. Cauendum valde eſt, ne aliter, quàm in Dei timore & amore educentur. Pernitioſa eſt quælibet alia inſtitutio, & diabolo periucunda. Abſit, ô neptes meæ, vt alteri, quàm Deo veſtram operam naueтis; vt placere alteri, aut morigerari velitis. Vtinam veſter ego eſſem nutritius, vt vos ad Dei nutum, & voluntatem conformarem. Certè ne ab eius obedientia vel latum vnquam vnguem diſcederetis, ita curarem, vt quamuis moleſtiſſimus vobis eſſem, nihil omnino, quod in eum finem conferret, mihi putarem prætermittendum. Valde opto, vt non minùs parentibus veſtris curæ ſitis, quàm eſtis mihi. Si vobis dicũt, in tuto vos eſſe, quia in ipſorum tutela eſtis; dicite vos, nihil poſſe homini eſſe in vita tutum; omneſque mortales, cùm primùm hauriunt vitæ ſpiritum, ex parentum ſuorum manibus, vt ita dicam, in tarta-

rum

rum delabi. Si parentes veſtri alios vobiſcum, quàm de Deo, ſermones habent, nec vos ad eius mandatorum obſeruantiam, atque ad rerum diuinarum deſiderium inſtituunt, operoſo quidem & inutili torquentur labore. Eos ego, vt mihi cariſſimos, oro & obteſtor, illud in primis magni faciant beneficium, quod non ita pridem à Deo receperunt, cùm vos luſtrali aqua in ſacro Baptiſmatis fonte ab originali immunditia perpurgatæ in Chriſti familiam eſtis adſcitæ. Quamobrem domini ac fratres mei, ſi veſtros, vt bonos parentes decet, liberos diligitis, curate diligenter, ne ab hac, quæ ipſis cum Deo contracta cognatio eſt, vlla vnquam ſua culpa deturbentur. Reliquum eſt, vt vobis cæleſte illud numen, cuius prouidentia mundus adminiſtratur, propitium optem, precerque. Sic illud actus veſtros conatuſque in hac mortali vita ſecundet, vt ex ea, veluti è carcere ſoluti, ad æternam felicitatem tranſeatis. Valete. Veſter in Chriſto Gonzalus.

Hæc ea fuit Gonzali epiſtola, cui ſimiles erant cæteræ, quas ille ſiue ad externos, ſiue ad domeſticos, ſiue ad alienos, ſiue ad ſuos vnquam ſcribebat. Non de aliis videlicet, quàm de Deo rebuſq; diuinis agebat; nec alio, quàm ſimplici quodam atque ſincero dicendi ſtylo vtebatur.



Superioris iussu Goëzium oppidum petit, vt sororem inuisat.

CAP. VIII.

ERAT Ludouicus Aluarus de Tauora cum vxore Philippa in oppido Goëzio leucas ſex Conimbricâ diſiunctô. Mittit inde, qui ſuo nomine à Gonzalo enixè petat,ad ſe venire, ne grauetur; ſecum eſſe Philippam ipſius videndi cupidiſſimam, nec aliud velle, quàm eius aſpectu tantiſper recreari. Caueat ne rem tam iuſtam neget ſorori de ſe optimè meritæ,quippe quam matris loco puer habuerit, cuique ob eam ſaltem cauſam plurimum debeat. Ad hæc breuiter & expeditè Gonzalus,ingrati animi crimen horrere ſe quàm maximè;ideo curaturũ, modò diuinus fauor adſit,ne beneficiorum,quæ plurima ab ipſis atque ampliſſima accepiſſe ingenuè fateatur, vllo vnquam tempore memoriã deponat. Si tamen de iis agatur externis beneuolentiæ ſignis, quæ ſanguinis coniunctio ſuo quaſi iure videtur exigere,nihil eſſe quod nimium ſolicitus ſit, eò quòd humanum illum erga propinquos amorem,qui ſenſu magis, quàm ratione percipitur,perfectiori iam caritate permutarit. Eos proinde etiam atque etiam orare & obſecrare, vt abductum ab humanis curis hominem,totumque ac penitus crucifixo Chriſto addi

addictum nolint rursum ad talia officia reuocare; nullius esse apud se pretij vllum sanguinem, præter eum, qui redēptionis humanæ pretium fuit; & quo in ara Crucis copiosissimè effuso à peccatorum sordibus ablutus, atque à sæuissima inferni hostis tyrannide in libertatem filiorum Dei immensa Christi benignitate vindicatus; eo se quotidie sanguine ali, dum sacra peragit mysteria; indeque effectum, vt modo quodam mirabili Christi consanguineus sit: turpe autem sibi videri, vt qui tali propinquitatis vinculo cum Deo ipso est coniunctus, vllam præterea in humanis curandā putet consanguinitatē. Ita Gonzalus tā illustribus, tam coniunctis, tam de se bene meritis propinquis. At Tauora pietatis vir amans, æquusque recti æstimator, nihil responso commotus, quo magis Gonzalum ipsius aspectum & colloquium recusare agnoscit, eò illum pluris facit, maioríque eius videndi & alloquendi incenditur desiderio. Conimbricam ergo se cōfert, Societatis Rectorē adit, ab eo petit, Gonzalum ad visendā sororē, Goezium mittat. Annuit Rector, vt par erat; vocat proinde ad se patrem, absolutè mandat, vt in Goezium oppidum quamprimum proficiscatur. Durum Gonzalo visum imperium, & animi sui votis admodum repugnans. Omnino tamen parendum ratus, cùm nihil aliud in mandatis haberet, quàm vt ad inuisendam sororem proficisceretur; de tempore, quo esset apud illam commoraturus, deque reliqua ibi agendi ratione ita primùm cum suis pacisci voluit, vt

iudicare quiuis posset, facilè eos à proposito recessuros. Hæ potissimum adhibitæ conditiones.

I. Assignandum sibi ac socio separatum in tota domo cubiculum, in quo sint à domestica turba, atque ab omni familiæ consuetudine remoti.

II. Cibum non ad ipsius Tauoræ ac sororis mensam, sed in eodem illo cubiculo, à vilissimo omnium, quæ domi reperiantur, mancipio sibi ministrandum.

III. Ipsum mancipium nunquam coram se aperto capite, aut famulantis more, sed vt æqualem aut socium compariturum.

IV. Præter bouinam carnem simpliciter elixam, vel si edi piscem oporteat, duratum sole aut fumo halecem, aqua pura coctum, nihil obsonij sibi ampliùs apponendum. Iudicatæ conditiones plus æquo graues; sed quia non videbatur res fieri tunc aliter posse, vel ab inuitis receptæ. Gonzali socius erat Melchior Carnerius, is qui postea Niceæ Episcopus, & Ioannis Nonij Abissinorum Patriarchæ successor creatus est. Per eos dies, quibus illic fuerunt, tanta in vtroque animi modestia, tanta gloriæ & honoris contemptio, tantúsque per omnia perfectissimæ cuiusdam vitæ enituit splendor, vt in religiosam domum exemplo suo conuertisse palatium videretur. Gonzalus inprimis admirationi erat omnibus. Assidua maceratione domabat corpus. Sic agebat apud suos, ac si illis esset ignotus. Quos priùs habuerat in famulatu, eos tūc colebat vt æquales, vt superiores venerabatur. Illud ipsum

ipſum mancipium, quod ad menſæ miniſterium acceperat, vt ſecum ſimul ſederet, & ex eadem paropſide cibum ſumeret, blandè & comiter cogebat. Nunquam vſus eſt lecto, qui ſingulis illi noctibus ex peculiari ſororis mandato molliter ſternebatur. Cubabat nuda humo, ferreo cinctus cilicio, inclinatóque ad ſaxum capite. Quæ illi conſuetudo, cùm in collegiis ac domibus ſocietatis erat, ſemper ferè familiaris fuit; quanquam his in locis, vt rem occultaret, neve ab aliorum moribus videretur alienus, ceruicalis loco librum habebat prædurís compactum tabulis, reipſa nihilo ſaxo mitioré. De rebus tātū ad animi ſalutem pertinētibus cum ſorore eiuſque filiabus loquebatur. Totus in eo erat, vt ipſis miſeræ huius vitæ breuitatem, rerum humanarum inconſtantiam, cæleſtium bonorum magnitudinem & perpetuitatem ante oculos proponeret; atque ad vnius Chriſti Opt. Max. amorem eorum animos inflammaret. Cùm fortè de morte pro Chriſto obeunda aliquando diſſereret, tanta martyrij exarſit cupiditate, vt Philippa, ac ſi iam ipſum in fruſta diſſectum cerneret, vehementer commota, conceptam animo triſtitiam oris mutatione indicaret. Quid hoc eſt, ſoror cariſſima? ait Gonzalus. Vnde iſta animi & corporis repentina turbatio? An carum tibi & iucundum non erit fratrem habere martyrio inſignem? Mihi verò, inquit illa, ſatis erit, fratrem habere inſignem ſantitate; martyrij negotium valde difficile eſt, & planè horribile. Ægrè reſponſum ferens Gonzalus, atque inſoli-

to quodam correptus spiritus ardore, tam altè tamque magnificè de martyrio dixit, vt eius vim & præstantiam probè nossent omnes, qui aderant; nec dubitaret Philippa ex obita pro Christo morte ad reliquam vitæ sanctitatem ingens accedere gloriæ incrementum. De virtutum excellentia & potestate ad familiares, & domesticos assiduè verba faciebat, tanto interdum animi feruore, vt audientibus cum magno eorum desiderio lacrymas extorqueret. Curabat, vt ad destinatum locum (is erat palatij ampla & patens aula) simul cum propinquis nobiliores aulici conuenirent. His ibi coactis, ne vlla rerum ad salutem necessariarum ignoratione tenerentur, Christianam in primis Catechesim exponebat. Vt autem, & vitiorum odium, & amorem virtutum animis conciperent, de vtroque genere multa deinde vtiliter & fructuosè disputabat. Peruersa quidam abstinuere iurãdi, alij detrahẽdi, alij quoque maleiocandi consuetudine. Chartarum ludus, qui maximè in aulis Principum sibi videtur aram posuisse, ita depulsus fugarusque, vt ipsa ludendi instrumenta, vbicunque reperiebanrur, minutatim discerpta in publicas vias proiicerentur, prætereuntium pedibus conculcanda. In tota illa domo, in qua multi tunc eranr, partim cognatione, partim affinitate Gonzalo coniuncti, cumque iis bene magna clientum & famulorum copia, nullus omnino fuit, qui diligenti confessione apud ipsum Gonzalum vel eius socium anteactæ vitæ crimina non expiarit. Non leuis, hoc in genere

genere, inter Gonzalum & Philippam extitit pietatis contentio. Optat pia fœmina, vt eius confessionem Gonzalus excipiat, atque vt faciat, obnixè deprecatur: negat Gonzalus excepturũ; nefas enim esse, illam ad pedes suos supplicem & abiectam cernere, quæ sibi matris & dominæ loco semper fuisset. Contrà verò instare Philippa, & vehementer contendere, nolit commmuni beneficio sororem priuare; neve committat, vt se ab eo contemptam potiùs, quàm honoratam credat; grauissimum sibi fore, si quod aliis conceditur, id vni sibi immeritæ denegetur. Cedit tandem iustis precibus Gonzalus, & confitentem sororem audit, atque insatiabili gaudio perfundit. Hinc ortum creditur, quod subiiciam. Viginti iam & amplius annos in Tauoræ matrimonio transegerat Philippa, prole carens mascula, per quam amplissimæ domus, & opulentæ hæreditatis ad posteros fieret successio. Quanquam eximiæ erat religionis fœmina, atq; à diuina volũtate tota pẽdens, nonnihil tamẽ ob hanc rem angi videbatur. Causam fratri secretò exponit, fidenter petit, cum Deo agat, suis vt votis annuat. Haud multa; Gonzalus bono animo sororem esse iubet; suam apud Deum operam pollicetur; ita pollicitis petentem roborat, vt ferè reddat de obtinendo beneficio securam. Non fefellit vota successus. Vix decimus effluxerat à petitione mensis, filium edit Philippa dominatus paterni nominisque hæredem. Plurimi tunc Gonzali consilio & exemplo institutum vitæ cursum, moresque in

melio

meliora mutarunt. Inter hos Eleonora Cottinia, altera eius ſoror, quæ matrimonio publicis Romanæ Eccleſiæ cæremoniis ritè iam celebrato, in ipſo nuptiarum die, antequam terreſtri ſponſo traderetur, Comiti Iacobo fratri connubij auctori, cæteriſque tunc aderant, conſanguineis magno animo exponit, decernere ſe, diuino ſponſo Chriſto virginitatem ſuam illibatam ſeruare, eiuſque nuptias munditiæ & decoris pleniſſimas omnibus huius vitæ bonis anteferre; ad Chriſti ergo domum, hoc eſt, ad certum, quod deſignaret, virginum monaſterium velle illico traduci. Non potuit tam conſtans propoſitum vlla ratione labefactari. Eodem die ſacræ illi monialium familiæ nomen dedit, in qua deinceps magnam ſanctitatis opinionem egregiis virtutum operibus aſſecuta, felici tandem exitu vitam abſoluens, ad optatiſſimos Chriſti amplexus euolauit. Eundem ferè curſum tenuit virgo alia eiuſdem Gonzali ex Philippa ſorore neptis. Hæc in parentum amore & deliciis erat; pro ſplendore familiæ ampliſſimo coniugio deſtinata. Non illa quidem aut ſordidis diſtincta curis, aut indecoris occupationibus implicata; ſed quod in hiſce nubendi ſtudiis fit, tota ad elegantiam compoſita, & corpori, quàm animo exornando, impenſiùs dedita. Hæc igitur tunc auunculi monitis & exhortationibus permota, tantopere ad pietatem exarſit, vt omni prorſus exquiſiti illius nitoris & elegãtiæ cura depoſita, renuntiatiſque in auribus, armillis, gemmis, multiplici ac vario ex ſerico, aut politiori alia

mate

materia vestium instrumento, cum cætera, quæ ad muliebrem mundum pertinet, supellectile, humili induta vestitu, & dicata Christo, purissimo animarum sponso, virginitate, perfectissimam aggressa sit viuendi rationem, in qua vsque ad vitæ finẽ sũma cum laude perseuerauit.



In varia Lusitaniæ loca magno cum suo, & aliorum fructu excurrit.

CAP. IX.

VT Gonzalus eximiè Deum diligebat, ita nihil ipsi erat antiquius, quàm vt ad illum (quod singulare quoddam diuinæ caritatis indicium) omnium animos studiáque conuerteret. Nullis ergo laboribus, nullis vitæ incommodis deterrebatur, quò minùs summa ope contenderet, vt quantum posset, quà concionibus, quà confessionibus, quà cæteris pietatis officiis mortales omnes iuuaret, & errantes animas, ad bonam frugem atque ad rectum viuẽdi tramitem reuocaret. Ex vrbe Portuensi, in quam à Conimbricẽsi Rectore missus est, antequam vllum in ea esset societatis domicilium, sic ad eundem Rectorem inter alia scripsit: Ego quandiu mihi in hisce peregrinationibus Deus aderit (spero autem nũquam defuturum) mendicato cibo viuam; confessiones tandiu excipiam, quandiu erunt, qui confiteri volent, nec

me

me operi somnus, nec studio quies, nec ieiunio fames eripiet; donec vires suppetent, iter pedibus faciam, quocunque ire contigerit; vsque ad raucitatem concionabor; vsque ad mortem corpus persequar, & animò subiiciam. Et paulo pòst in iisdē literis hæc: Perseuerabo intrepidus in hoc proposito, fauente numine, nec patiar, aut vllo mortis terrore animum vinci meum, aut vllo vitæ fastidio tepescere. Pergam per quidquid asperum, & durum sese obiecerit, nec sistam gradum, donec cum Christo Iesu affigar Cruci. Quæ verò in his literis Sylueria scripsit, ea constanter toto vitæ tempore seruauit, nec omisit priùs, quàm fuso pro religione sanguine humanis rebus excederet. Inter alia loca, quæ per id tempus ex obedientia lustrauit, Tomarium fuit; nobile oppidum est à Nabane flumine, quo alluitur, Nabātia olim dictum, leucis duodecim, Austrū versus, Conimbricâ distat. Populo est frequens, multosque circumcirca pagos habet, quibus ius dicit. Hic eius militiæ caput, quæ à Dionysio Rege olim instituta aduersùs Mahumetanos, capitales Christianæ religionis hostes, à Christo nomen accepit. Missus huc Gonzalus, ita se in omnibus gessit, vt post duos menses in popularium vtilitatem summa cum laude consumptos, oppidanus senatus vnum è primis, communi consensu delectum, miserit ad Regem, qui & ingentia commoda in negotio salutis à Gonzalo accepta exponeret, & omniū verbis obnixè ab ipso peteret, ne vllo modo pateretur, Gonzalum anima-

rum

rum suarum vnicum remedium, sibi auferri. Probata Regi denunciatio, & grata petitio. Efficit, vt tempus Gonzalo à superioribus prorogetur. Additi igitur in gratiam Regis menses insuper quatuor, quos ille solito cum labore, & fructu ad spiritualem eorum hominum vtilitatem contulit. Solebant aliqui ex primariis in Xenodochium cõuenire, vt orationis, eius pręcipuè, quæ mente fit, præceptis à Sylueria imbuerentur. Ad hoc munus diebus singulis statæ horæ, in quibus tota meditandi ratio diligenter explicabatur. Ab explicatione ad certum quisque cubiculũ in eodem Xenodochio receptus, ea, de quibus fuerat actum, magno studio, nec minori commodo obibant. Ter aut quater, diebus etiam profestis, concionabatur. Inchoabat à pago aliquo vicino, ad quem mane summo, antequã ad agros colendos, & cætera ruris opera pagani exirent, se conferebat. Coacto ibi breuiter populo ea exponebat, quæ loco & tempori congruere videbantur. Re confecta redibat ad oppidum, & confluentem, ad audiendum sacrum, multitudinem altera concione ad salutis studium hortabatur. A meridie tertiam ad eos habebat, qui occupationibus erãt vacui. Quartam denique sub vesperam ad illos, quos siue negotia forensia, siue agrestes curæ interdiu præpedierant. Cùm verò ex oppido ibat ad pagos, ex pagis ad oppidum redibat, sic erat hisce itineribus intentus, atque oblitus sui, vt sæpiùs fixis in altum oculis, & aperto capite, cælique iniuriis exposito, incedere visus sit; nec ad id priùs aduerte

ruris

uerterit, quàm ab aliquo fuerit admonitus. Diem igitur integrum, breui duntaxat ſpatio excepto, concionibus, confeſſionibus, conciliandis diſſidentium animis, rudibus inſtituendis, cæteriſque huiuſmodi operibus impendebat. Noctem quoque totam, ſumpto modico ſomno orationi dabat. Prima ſtatim face adibat Xenodochij templum, cubiculo vicinum; ſolus ibi ſine arbitris, ante auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum curuans genua, partim diuina meditando, partim cum Chriſto præſente dulciſsimè colloquendo, partim denique aliquos recitando Pſalmos, magna vultus, ſed maiori cordis exultatione, tandiu illic ad hunc modum perſiſtebat, donec ruente præ laſsitudine mole corporis, victus inuitúſque modicè quieſcebat. Cęterùm refecto tantiſper quiete corpore, genua iterum flectere, ſolita orandi ac meditandi exercitia repetere, & ad diluculum protrahere. Tradita hæc, quę ſcripſimus à teſtibus plurimis, iiſque locupletibus, quos hominis admiratio & honeſta quædam rei cognoſcendæ, ac probandæ curioſitas adegit, vt ſingulis ferè noctibus ipſum diligenter obſeruarent. Poſt menſes ſex, quos Tomario tam fructuosè dederat, de ſuo ad Conimbricenſe collegium reditu ciues monet. Illi primùm grauiter eius diſceſſum ferre; dein cùm viderent retardari ampliùs non poſſe, ſummis precibus rogare, vt ſibi & ſocio equos & cibaria accipiat. Actis ille gratiis, negat firmiter quidquam ſe accepturum: ſolito igitur more ſe dat in viam pedes, tota ſimul effuſa & comitan-

te

te ad plus tria milliaria nobilitate. Hîc verò res accidit dictu digna. Quidam ex iis, quibus carior Gonzalus erat, in ipso profectionis articulo aduertens eius calceos esse consumptos, emi repente nouos iubet. & patrem à turba segregans, orat secretò, vt quoniam triginta quinque & amplius passuum millia pedibus est confecturus, & extrema calceamenti inopia laborat, calceos illos velit induere, itineri faciendo necessarios. Gonzalus ad hæc nouis sibi calceis opus non esse; sufficere quos habet: qui si tandem in via deficiant, quod erit reliquum, nudis pedibus sine magno periculo posse confici. Videt homo quantuncumque nitatur, nihil se aut precibus, aut rationibus acturum. Consilium ergo init dolosè ac facetè pium. Conuenit cum aliis, vt cùm deuentum erit ad statutum locum, quem adusque Gonzalum sunt comitaturi, multi simul ac frequentes in eum irruant, ac per speciem amplexandi, manusque deosculandi, ipsum è solo eleuent, & brachia manusque impediant, quò interim detractis veteribus calceis, posint illi noui, inuito ac renitente ipso, pedibus induci. Ita factum. Tum pater captum se beneuolo dolo agnoscens, non putauit pietatis vim vi vlla ampliùs repellendam, ne in amicorum caritatem nimis inofficiosus videretur. Profectus igitur est nouis calceis indutus: veteres autem reliquiarum loco cum veneratione à ciuibus asseruati.



Diuino instinctu agnoscit se Christi Martyrẽ futurum; quod & ipse sæpius prædicit, & insigni prodigio à Deo præmõstratur.

CAP. X.

VITÆ suæ finem illustri martyrio decorandum, diuino instinctu creditur agnouisse. Res sic habet: Erat Conimbricæ quidam maleficij reus. Hic sententia iudicis morte damnatus, cùm ad supplicij locum duceretur, comitẽ habuit Gõzalum, à quo, in rebus animi, vt apud Christianos fit, vsque ad vltimum spiritum iuuaretur. Vbi iniecto laqueo suspensus homo vitam finiit, tum verò Gonzalus ad circumfusum populum è patibulo concionari; de mandatorum obedientia, de mutua pace, & cõcordia, de pulchritudine eius iustitiæ, quæ suum cuique tribuit, neminem lædit, nemini infert iniuriam, denique de scelerum omniũ detestatione multa grauiter & vehementer dicere, omnesque ad pietatem & salutis desiderium exhortari. His demum expeditis colligit se ad patibuli locum à tumultu magis liberum, vt pro demortui anima tantisper deprecetur. Plurima ibi mente agitat de illo mortis genere, de ministerio carnificum, de patientis ignominia, de confluentis populi multitudine. Dein ad Caluariæ

uariæ locum cogitatione transiens, sibi Christum præsentem statuit, summa Iudæorum militumque sæuitia crucifixum, probris omnibus maledictisque vexatum, acerbissimis tortum doloribus, omni prorsus humana ope auxilioque destitutum. Hæc secum inflammato studio meditatus, sic ad martyrij tormenta opprobriaque exarsit, vt tum maximè quanta potuit contentione, hoc violentæ & ignominiosæ mortis genus à Deo sibi afflagitauerit. Nec solùm impetrauit, quod demonstrauit euentus, sed quid in ea re sibi esset euenturum aperiente Deo prænouit; domum enim reuersus, cùm martyrij beneficium, sibi diuinitus concessum, celare præ gaudio non posset, sociis omnibus, quibuscum loquebatur, cœpit iterum & sæpius dicere, se à Deo petiisse, atque etiam impetrasse, vt alligato ad collum laqueo mortem pro religione oppeteret. Ita verò palam, frequenter, & constanter hoc ipsum asseuerabat, vt nemo tunc dubitaret, non de morte tantùm, sed de mortis etiam genere fuisse diuinitus admonitum. Hoc primum martyrij sui vaticinium aliis deinde prędictionibus confirmauit. Solitus erat ex humilitatis studio suam sæpe operam coco nauare, vt ij solent, qui ad id munus ex obedientia sunt addicti. Conimbricæ igitur cùm esset, & ex oratione solita ardentior, ac lætior surgens, in culinam se conferret; vbi ad cocum venit, Exerce, inquit, frater mi, hoc iumētum, (suum corpus significabat) quod Dei causa raptandum est, & in fluuium proiiciendum, vt

neque coli neque agnosci ab vllo vnquam possit. Illud quoque notissimum fuit, quòd cùm aliquando Olysipone, in templo professæ domus sancti Rochi, concionem haberet ad populum, insolito exultans gaudio, atque huc se voluens, & illuc, gutturque ostendens, versa ad collum manu, ita fertur dixisse, Hoc guttur, fratres mei, facio tanti, quanti ex humanis rebus nihil. Quin etiam quidquid haberi ab hominibus potest, nihili præ illo pendo, quoniam propter Christum adeò arctè atque immaniter stringendum est, vt impedita respiratione, via vitæ sit intercludenda. Expectabatur Præpositi generalis consensus, vt, quod ardenter Gonzalus expetebat, in Indiam proficisceretur. Veniunt tandem ab Vrbe literæ, quibus profectionem Generalis approbat, & ratam esse iubet. Quidam re secretò cognita, ad Gonzalum properat, arctè complectitur, & pro læto nuntio exigit strenam. Illum Gonzalus sedato vultu atque hilari intuens, Gratias, inquit, tibi ago & habeo quàm possum maximas. At scias, quod ad meam profectionem attinet, non mihi nuntiari rem nouam, cùm iam pridem sim de illa certissimus. Cùm deinde Lusitani superiores ad eamdem profectionem impediendam, quod magnum prouinciæ suæ detrimentum afferre videretur, vnum ex sociis cum literis mitterent ad Franciscum Borgiam, qui tum in Hispania Societatis Commissarium agebat, hominem Sylueria offendens, Frustra, inquit, laboratur; quò minùs ad Indos proficiscar, nulla prorsus humana vis

vnquam efficiet; diuino decreto ſtata res eſt, ac firma. Leonem Henriquium, cùm Luſitanæ ſocietatis prouinciam moderaretur, coram multis narrantem audiuimus, ſe & Gonzalum ex Conimbricenſi Collegio in proxima olíueta aliquando egreſſos, laxandi animi cauſa, inter ambulandum dulces de diuinis rebus inſeruiſſe ſermones, quibuſcũ Gonzalus in Dei amorem incredibiliter exarſiſſet; tum verò apprehenſo ſibi atque arctè ſtricto brachio ita dixiſſe, Quid agis mi Leo? Eia diuinas laudes, quantũ potes, mecum celebra. Scias me pro Chriſti fide mortem ſubiturum; hoc verò corpus eò proiiciendum, vbi nequeat ampliùs inueniri. Hæc palam atque in magno ſociorum conſeſſu affirmauit Henriquius, vir rara vitæ ſanctimonia, & pariſide notiſsimus. Per id tempus nunciatum in Luſitania, Antonium Criminalem Parmenſem, eum, qui in Societatem Ieſu martyrij gloriam primus induxit, in Orientali India ad oram Parauanam pro defendendo Chriſti grege à Bagadis Narſinghæ populis impio ferro fuiſſe confoſſum. Eo nuntio, qui ad ſimilem palmam ſociorum voluntates magnopere incitauit, ſic vnus Sylueria inflãmatus eſt, vt videretur prorſus exire extra ſeſe. Quippe recordatione promiſſæ à Deo, obtinendæque in illis regionibus coronæ ſic exiliit, vt eius animus ingenti gaudio perfuſus, cùm intra corporis anguſtias capi non poſſet, dilatandi ſe ſpatium foris quęſierit: Ita vulgò creditum, ac dictum eſt. Cæterùm tot ac tanta de Gonzali martyrio vaticinia mirabi-

le prodigium excepit. Cùm aliquando in templo S. Rochi ſacris de more operaretur, quo tempore calicem in ſublime ferebat, vt Chriſti ſanguinem adorandum exponeret, qui rei diuinæ intererant, notantes Gonzali manus cruore madidas, mirari in primis vehementer; mutuò dein inueſtigare, quiſnam atque vnde cruor ille, vtramque manum ſic inficiens, promanarit? vt tamen incerta ſunt iudicia vulgi & plerumque minùs in veritatem propenſa: quidam effuſum è calice Chriſti ſanguinem; alij vulnus ab aliquo clauo fortè inflictum; alij cauſas alias minùs aptas comminiſcebantur. Euentus porrò fama cùm ingẽtis populi aures ſubitò occupaſſet, ad Reginam quoque Catharinam peruenit. Illa verò rei agnoſcendæ percupida acciri ad ſe iubet Michaelem Turrianum ex Societate Ieſu, qui à confeſſionibus ipſi erat. Quærit ab illo, quid Gõzalo cõtigerit, quæve illius cruoris cauſa fuerit? An è calice per imprudentiam Chriſti ſanguinẽ in manus effuderit, quod magna vulgi pars opinabatur? Reſpõdet Michael, rẽ omnino nouã ſibi narrari, ac tũc primũ audire ſe, viſas Gõzali manus, dũ calicẽ attolleret, cruẽtatas: ſi quid tamẽ id ſit, nõ dubitare, quin sãguis Chriſti effuſus non fuerit. Ea, inquit, in Gonzalo eſt animi ſubmiſſio, atque id propriæ abiectionis ſtudium, sereniſſima Regina, vt ſi quid ei, vel inuito accidiſſet, ex quo pati aliquid dedecoris poſſet, nulla id ratione eſſet occultaturus, ſed coram omnibus atque in propatulo poſiturus, vt veluti ex re malè geſta pudore affici, reprehendique

dique posset. Deinde quo nam pacto is, qui litanti Gonzalo ministrauit, aut ignoraret effusionem sanguinis, aut sileret, si effusum vidisset? sed & illud per se constat, sanguinem Christi è calice effusum, cùm sub vini accidentibus sit, non ita potuisse manus inficere, vt cōtentæ apparerent, quod ipsa docet experientia. Quid igitur, inquit Regina, illud fuit, quod nemo adstantium non vidit? aut vnde euenire potuit, vt manus viderentur cruentatæ, cùm non essent? Ego, inquit Turrianus, quid actum sit, definire certò non possum; si mihi liceat pro eximia Gonzali sanctitate aliquid suspicari, dicam, eo fortè ostento significatum, quod in ore multorum est, fore vt vir egregius & Deo maximè carus, fuso pro religione sanguine semetipsum victimam offerat Christo, quem tunc æterno Patri in sacrificio Missæ offerebat. Placuit interpretatio Reginæ, cui Gonzali virtus, quàm satis notam perspectamque habebat, facilè suasit, eo signo gloriosum mortis genus pro Deo obeundæ permonstrari.



Ad Indos proficiscitur, & Prouincialis præpositus constituitur.

C A P. X I.

CAPI amplissimus Gonzali spiritus vno Lusitaniæ Regno non poterat. Magis

ergo magísq; cupiebat diffũdi,vt parẽ votis suis materiã reperiret.Hæc hominem causa impulit, vt longè latéque patentes adiret orientis solis regiones, vbi ingenti laborũ inundatione inexplebilẽ animi sui sitim satiaret. Anno igitur à Christo nato M.D.LVI.illo nimirũ ipso,quo beatissima Ignatij de Loiola anima vitæ mortalis vinculis soluta ad æternam patriã profecta est, soluit Olysipone Gõzalus,& per immẽsam maris Oceani vastitatem plena periculis ac difficultatibus nauigatione, in Indiã contẽdit, maximũ externis æquè & domesticis relinquẽs sui desideriũ. Quę toto nauigationis tẽpore in naui pręstiterit,quãtũque & exẽplo & doctrina nautas iuuerit,reputare quiuis secũ faciliùs poterit, quàm posiim ego explicare.Prima illi circa ægros cura.Iis ministrabat vt seruus;eosdẽ ad patientiã & veræ salutis solicitudinem hortabatur vt pater;solabatur vt frater; cum iisdem denique dolebat,vt mali socius:necessarios ad victum cibos per se parabat; & ad communem nauis focum, quo solet fæx hominum conuenire, portabat ollam; crassa & rudi tectus lacerna inter vilissimam turbam noctu quiescebat. Denique compertum est nullum erga proximos officium pietatis, nullam demittendi sese & contemnendi occasionem prætermisisse. Inter hæc Mozambicum insulam felici cursu nauis tenuit. Exscensione facta,nihil Gonzalus potiùs habuit, quàm vt templum sanctissimæ virginis adiret, & in eo totum se,& quasdam, quas secum asportabat,B. Vrsulæ & sociorum reliquias eidem virgini di-
caret

caret. Altera ab aduentu die ſupplicationem inſtituit, in qua illæ ipſæ reliquiæ ſolemni pompa per vrbem delatæ, debito honore colerentur. Litanias ipſe linteatus maiori cum pietate, quàm arte, decantabat. Ventum ad Deiparæ domum, vbi cum ingenti campanarum, cymbalorum, ac tibiarum ſonitu, lætitiæ indice, excepti venientes. Tum verò tanto cum apparatu & magnificentia, vt in illis locis, res diuina celebrata, vt concionem ad veſpertinum tempus differri oportuerit. Ab ea verò, ſummo totius populi concurſu, habita, ad Mahumetanos inſulæ habitatores ſtatim ſe Gonzalus contulit, vt iis quoque, ſi poſſet, aliquid lucis, & commodi afferret. Nihil negotij fuit, impiã ſuperſtitionem ſic apertam facere, vt ipſi quoque impuræ ſectæ cultores eam potuerint agnoſcere, & palam fateri. Sed gens perfida, in auaritiæ, & libidinis cæno prorſus immerſa, ad vitæ immunditiem difficilè emergit. Paucis diebus in Mozambico vtiliter conſumptis, vbi perficiundæ nauigationis tempus fuit, nauim iterum conſcendit, & emenſo latiſsimo inter Arabiam atque Indiam iacentis maris tractu, Goam peruenit. Cum que ſabbato, ſub noctem mediam, Collegium eſſet ingreſſus, ſequenti ſtatim die concionem habuit in templo maximo, tota concurrente & admirante ciuitate. Vbi Gonzalus in India pedem poſuit, mox prouinciæ curam ſuſcepit; qua in re ita ſe geſsit, vt neque domeſtica illum negotia à procuranda proximi ſalute quidquam abſtraxerint; neque à demandato ſibi munere rectè obeundo

ista pietatis officia auocarint; neque vlla siue suorũ,siue externorũ occupatio ab excolendo veris solidísque virtutibus animo retardarit. Concionari cœpit omnibus dominicis festisque diebus,tanta populi frequentia, & fructu,vt neque locus ad multitudinem capiendam, neque ad excipiendas pœnitentiũ confessiones sacerdotes sufficerent. Tùm ex nobilibus plurimi, & quod rarius est,ex militibus non pauci,mutata viuendi consuetudine pœntientiæ, & Eucharistiæ sacramenta hebdomadis singulis,raro exẽplo, nec dispari compendio,frequentare cœperunt. Duo quædam, magni vtrumque ad rem Christianam promouendam momenti,ab Indico prætore, qui tunc erat Franciscus Barretus de Lima, Gonzalus petiit. Vnum fuit, vt ij, qui ab infidelitate ad Christi fidem venerant, sicut erat in Regiis mandatis,in omnibus Reipublicæ muniis, in quibus aliquid vel vtilitatis esset, vel dignitatis, præferrẽtur cęteris infidelibus,multoq́;,quàm illi,benigniùs & liberaliùs tractarẽtur. Alterum,vt diligenter caueretur,ne quis ex toto Gentiliũ grege intra Goanam vrbem palam aut occultè profana sacra faceret. Prætor, vt erat prudens ac pius,vtrumque facilis libensque concessit. Principio igitur,Gonzalo instigante,sedulò curatum, vt quamprimum omnia tum vtilia, tum honorifica Reipub. munera, quæ infideles gerebant,ab ipsis ablata,& aliquo siue vtilitatis, siue honoris aucta incremento nouis Christianis conferrentur. Deinde præconis voce edictum,ne quis omnino,cuiuscunque esset dignitatis,fortu-

næ

næ,cõditionis,auderet Goæ gentilicos ritus aut cæremonias publicè priuatímve vſurpare ; ſi quis ſecùs faceret,grauiſſimas eũ pœnas luiturũ.

Ad rem Chriſtianam apud Indos tuendam,& amplificandam vehementer animum intendit.

CAP. XII.

QVANTVM hiſce legibus res Chriſtiana promota ſit, inde perſpici poteſt, quòd cùm antea adeò pauci religionem noſtram amplecterentur, vt Franciſcus Rodericius Goani collegij Rector dicere eſſet ſolitus, optare ſe,vt quot in anno dies ſunt, tot ſaltem in eo Chriſtiani fierent;illo tamen ex tempore tam ingentes hominũ greges in Eccleſiæ caulas turmatim ingreſsi ſunt, vt paucos intra dies octoginta quatuor ſupra octingentos, primis verò duobus à Gonzali aduentu annis, cum magna fidei exiſtimatione ad tria millia veritati adhæſerint. Fuit in his ex Mahometana ſuperſtitione Mealis cuiuſdam Decanij Regis conſanguinei filia, fœmina clariſsima, iniquiſsimè ferente & maximè repugnante patre, impuræ ſectæ ſic addicto vt in ea colẽda,& propugnãda nemo illo iis in locis aut prior eſſet,aut ardentior. Cęterùm de huius virginis magnanimitate, & conſtantia de

de parentis Mealis furore, de eximia prætoris Barreti in illa adiuuanda, & isto compeſcendo prudentia & dexteritate, ſatis ea ſint, quæ alij luculenter ſcripſere. Ad alliciendos autem ad Christi fidem infidelium animos maximè curauit Gonzalus, vt ij qui ſe Chriſto adiungerent, apparatu, quoad fieri poſſet, exquiſitiſsimo, Chriſtianis ſacris initiarentur. Itaque Baptiſmus, quem prouincialis primùm Goæ inſtituit, hunc in modum celebratus eſt: Pridie eius diei, qui pueri Ieſu Circuncisioni eſt ſacer, veſpertinis horis in templo ſancti Pauli ſolemniter decantatis, plurimi Goani ciues eleganti ac pretioſo induti veſtitu, equiſque inſidentes pulcherrimè phaleratis, certo ex loco in publicum prodeunt. Inter eos miræ magnitudinis & bellè inſtructus graditur elephantus lanceis onuſtus arūdineis, vt futuræ pugnæ arma ſuppeditet. Militari ergo ordine, atque in ſpeciē certaminis aptè diſpoſiti ad ſocietatis Collegiū equis ferūtur. Ibi ante ædiū veſtibulū, vbi patēs area + ad rē apta, [redacted] in duas diuiſi turmas, veris aliàs præliis diu multūq; aſſueti, fictū ineūt ſumma cū peritia certamen. Adfuit ſpectaculo cum cætera nobilitate prætor Barretus, augendi religionis opinionem percupidus; qui cùm ex Neophytis quidā in ludicra illa pugna equitandi iaculandique artificio reliquos ſuperaſſet, militari ritu, ac diſciplina, vti in bello ſolet, equitis illi honorem & inſigne contulit. Poſtero die ad primam lucem ab omnibus ordinibus ingenti concurſu in templum itum: ſacrum myſterium pontifica-

+ et salit

li

li magnificẽtia celebrauit Ioannes Nonius Barretus ex Societate Iesu Æthiopiæ Patriarcha. Vbi rei diuinæ finis, ducta per claustra collegij pompa solemnis, qua immortali Deo debita fieret gratulatio. A prandio coacti vnum in locum Neophyti, armis & vestibus eximiè ornati, cum signis ac tympanis, cæteroque apparatu bellico sese primùm in apertum dant; tum ad Collegij templum, inde ad vicinam domum, in qua erant Catechumeni, progressi, obsidentium atque pugnantium more eam circumstant; intusque receptos ingenti fistularum dispositione, festísque acclamationibus ex ordine salutant. Interim domo egreditur prætor nobili armatorum stipatus comitatu, dumque ad templum pergit, obuiam fit Neophytorum cohorti, perq; speciem concurrendi, vehemente in ipsos impetu irruit. Illi contra alacres agmen claudere, vim declinare, sclopos ordinatim displodere, fortiter irruptioni resistere, & tandem fictum hostem repellere, seque incolumes integrósque seruare. Hisce obiter peractis, eadem Neophytorum comitante manu venit in Collegiũ prętor, atq; inde simul cũ Patriarcha & cæteris ordinibus ad Catechumenos se confert, eosque illustri pompa ducit ad templum. Erant stratæ plantarum frondibus, & odoriferis herbis ac floribus viæ: dispositæ certis locis arbores integræ, vt amœnitatem conciliarent, domorum parietes pretioso tecti peripitasmate ex auro & argento variique generis serico scitè contexto. Pendebant è fenestris stragulæ vestes, opere persico

conspicien

conſpiciendæ, & Ormuſiana tapetia materia & arte nullis ſecunda. Odoriferi paſſim liquores in vias effuſi, & odores alij ſuauiſſimi certis locis expoſiti. Inter hæc tympana, tubæ, tibiæque & muſica alia inſtrumenta diſtinctis ſpatiis compoſitæ perſonabant. Factus eſt ad ſpectaculum incredibilis Ethnicorum concurſus, in quibus Brachmanum è genere plurimi; qui cùm viderent Chriſtiana ſacra tanto honore coli, & ſuperſtitiones ſuas omnino contemni, miſto cum indignatione dolore, miſerandum in modum diſrumpebantur. Illud etiam ipſos malè torſit, quòd ſe irriſos crederent ab elementariis pueris, dum iſti mentito Brachmanum habitu, in ſaltatorio ludo agerent choreas. Trecenti ferè cæleſti lauacro erant expiandi, nouis omnes induti veſtibus, & ad Baptiſmi celebritatẽ aptis, ſerta ex floribus in capite, albos in manibus geſtabant cereos. Quæ præmitti ſolent ex Eccleſiaſtico ritu ante Baptiſmum cæremoniæ, eas Gonzalus ad oſtium templi, vt moris eſt, exhibuit viris, ſacerdos alius fœminis; abluendi munus Patriarchæ relictum. Pro multis prætor, pro reliquis nobiliſſimi quique Luſitani ſpoponderũt. Suſcepto Baptiſmo noua illa ſanctitatis germina, ex aqua & Spiritu sãcto regenerata, apto diſpoſita ordine, cereiſque accenſis ad arã maximam accedunt, & ante auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum procumbunt prona, proque accepto fidei & lauacri beneficio gratas æterno Deo, & Chriſto Ieſu eius filio habent & agunt infinitas. Tum renouati ludi, & equeſtria ſpe-

ctacula

ctacula finem festo lucíque attulere. Hæc ideo latiùs forsitã, quàm instituti mei ratio postulat, narrare libuit, vt intelligi queat, quantam Gonzalus in illis orientis orbis plagis sua auctoritate & industria rei Christianæ occasionem fecerit. accessionem Enimuero ex ea Baptismi celebritate crebris per gentilitatem rumoribus dissipata, effectum est, vt in dies singulos ad Christi ouile gregatim Ethnici ventitarẽt; vnde non multò pòst intra vnum & eundem mensem ducenti & amplius lustrali aqua sunt expiati. At non id tantum curabat Gonzalus, vt Christo Ethnici nomen darent, sed etiam vt firma fide vitam, & optimis moribus fidem illustrarent. Non mediocrem quoque adhibebat diligentiam, ne quid ad victum cultúmque pertinens egenis deesset, rectè intelligens apud eos, quibus cara paupertas non est, fidem, cæterásque virtutes rerum indigentia periclitari. Hac de causa in Castella ac vicos Goæ vicinos, inque Salzetana cõtinentis terrę oppida aliquos ex societate assiduè mittebat, qui sollicitè quærerent, an Neophyti illis in locis habitantes aliqua rerum siue spiritualium, siue temporaliũ difficultate premerẽtur. Vnde cùm agricolæ nonnulli Euangelij audiendi causa confluerent Tanaam, ibique ab incolis infidelibus malè haberentur, nec possent commodè fidei doctrinam percipere, obtinuit Gonzalus à Prætore, vt in locum conuenirent vrbi vicinum, in quo & sine dispendio viuerent, & fidei præceptis cum fructu instruerentur. Locus is breui pagus euasit, accipiens à Trinitate nomen; ac sub ipsum



ipſum ſtatim ſui initium centum quinquaginta numerauit incolas Chriſtianos, apud quos, ſimul vt eos honoraret, ſimul vt ad altam quandam atque ſublimẽ de Chriſtiana religione opinionem animo concipiendam erigeret, noui cuiuſdam ex eadem gente ſacerdotis primum ſacrificium, quanta potuit magnificentia, & ſplendore celebrauit. Facienti enim Diaconus ac Subdiaconus aſsiſtebãt,quod erat locis illis & tẽporibus perrarũ. Conuocati inſuper omni ex parte muſici & ſymphoniaci,quos India tũc optimos habebat. Tãdẽ prætor ipſe nõ ſolùm rei diuinæ voluit intereſſe, verumetiã in cõmuni cum reliquis triclinio accumbere, nouúmque prope ſe in eadem menſa habere ſacerdotem: qua ex benignitate mirum eſt,quàm incredibilis excitata ſit in illis Chriſtianis cum ſumma admiratione lætitia.



Contra hæreticos & alios infideles fidei cauſam agit.

Cap. XIII.

Dvm Gonzalus hiſce rebus intentus diligentem Chriſto operam nauat, ecce Goæ renunciatur, quendam ex Neſtoriana hæreſi, mentita Epiſcopi dignitate, Malabaricam oram pererrando, illis in agris Chriſtiano aratro nondum bene ſubactis impiam facere ſemen-

tem

tem. Nulla interposita mora, adscito socio Melchiore Carnerio, Cocinũ, notissimã Indię vrbẽ, ad ostiũ Mangatis fluminis, à qua regno nomen, magnis itineribus cõtendit. Inde Malchiorẽ eadem super re Cananorẽ misso, quà præmiis, quà pœnis nihil omnino non mouet, vt pestilentem satorem deprehendat. Fit voti compos. Hæreticus ipse, nemine cogente (veritatis ne studio, an metu compulsus, incertum) Patrem adit, per sese errorem fatetur; peccati veniam, & remedium petit. Gonzalus successu lætus rem defert ad Prouisorem, qui Episcopi loco erat, & res fidei curabat, nondũ in India constituto sanctę inquisitionis tribunali. Prouisor Hæreticum hominem Ecclesiæ reconciliat, errore deposito, & palam abiurato. Veruntamen ne ad pristinos rediens mores, quod aliquando vsu venit, fœdo contagio alios corrumperet; effectum Gonzali opera, vt in Lusitaniam opportunè mitteretur. Cum tanto propagandæ atque tuendæ fidei ardore Sylueriam inflammari, ac propè consumi, per illas regiones omnium rumoribus percrebuisset; quo quisque Christianam religionem vtcunque offendi norat, id ad ipsum, vti ad hereticæ prauitatis censorem, quamprimum deferebat. Inter alia exhibitum quoque chirographum illi est, impiis in Christum maledictis & execrationibus refertum; quod in capsula colligendæ transeuntium eleemosynæ, ad templi ostium collocata, cum reliqua stipe fuerat inuentum. Suspicatus pater id, quod erat, auctorem sceleris fuisse aliquem origine Hebræum,

eorum de numero, qui foris simulant Christi fidem, intus Iudaicæ perfidiæ tenacissimè adhærent, cœpit statim in hoc genus hominũ, atq; in dãnatam sectã adeò studiosè, & scitè pro concione inuehi, vt breui tẽpore omnes ferè, qui execrandæ petulantiæ vel auctores, vel fautores & conscij extiterant, detecti, in carcerem detrusi, debita pœna fuerint multati. His verò ex rebus data Syluerię occasio scribendi ad Regẽ, & maiorem in modum postulandi, vt si Christi fidẽ, quam eximiè colit, quamque tantopere propagare desiderat, seruatam in Oriente velit, operam det, vt pontificia auctoritate tribunalia in India erigantur, in quibus electi in Lusitania viri, prudentia, literis, & sanctimonia præstantes, Religionis causas pro dignitate pertractent. Ita factum est. Atque hoc tam singulare beneficiũ, quo Christiana fides in Oriente hodieque sarta tecta conseruatur, Gonzali literæ peperere. Vt autem erat in pietatem eximiè affectus, ita & illos, qui pietatis causã vi & armis tuebãtur, toto animi & corporis conatu adiuuabat. Cùm esset Goæ, certò nũtio affertur, Melicum Chiauli dynastam maximis copiis ad oppugnandam Lusitanorum arcem in eadem vrbe sitam ex cõtinente profectum, intra breuissimum tempus adfuturum. Prætor rectè sciens admodum infirmas esse in arce vires ad oppugnationem sustinendam, proindeque certissimum esse in mora periculum, cum paucis militibus, quos potuit raptim cogere, actutum nauim conscendit, atque ad propugnandos socios summa celeritate profi

proficiſcitur. Diſcedens tamen à Gonzalo petit, vt ipſe, qua eſt apud omnes auctoritate, & dicendi vi populum Goanum excitet, vt in tanta rerum omnium difficultate periclitãtibus ſociis ſubſidio currat; nec rem, non tam Luſitanam, quàm Chriſtianam peſſum ire ſinat. Capit Gonzalus demandatam ſibi à prætore prouinciam. Nec mora, ſigno dato aduocat concionem. Adeſt ſubitò frequentiſſima Ciuitas. Suggeſtum ipſe cõſcendit, grauiter cauſam explicat; impendentis periculi magnitudinem proponit, vt diligenter ac ſedulò auxilium ferant, vehementer adhortatur. Paucis, inquit, vobiſcum agam, viri Luſitani; nec enim longas moras inſtantia pericula patiuntur. Quo in ſtatu res noſtra Chiauli ſit, probè noſtis. Neque ego eam meliùs, quàm veſtri vobis animi declarabunt. Paululum, obſecro, apud vos conſiderate, quidnam ſit, nobiliſſimam Luſitanorum arcem fortunæ relictam, in Aſiæ totius luce, à Mahumetano hoſte Chriſtianæ religioni & nomini infenſiſsimo (quod Deus omen auertat) expugnari. Parum quidem erit, ſocios veſtros, amicos, ciues, propinquos per omnia dura & aſpera exercitos, miſerè vexatos, bonis omnibus exutos, victoſque tandem ac vinctos barbarorum manibus & crudelitati committi, ferro cædi, in fruſta diſſecari. Creditis ne, illa vna noſtrorum carnificina ſatiandam diri hoſtis ſæuitiam, aut ea tantùm præda eius auaritiam fore contentam? Haud extinguitur cupiditas habendo, ſed accenditur: neque expletur ſanguine crudelitas, ſed excitatur. Niſi obuiam

malo itur, clades illa nostræ erit principium ruinæ. Aut enim Melicus victoria elatus huc arma superbè inferet, aut quod est procliuius, huius capiendæ vrbis spem faciet hosti potentiori. sed hæc minora. Agitur in illa oppugnatione vestra per totum orbem existimatio; & quod est longè grauissimum, honor & dignitas fidei Christianæ. Fingite animis, à Melico non admodum potenti & formidando hoste captã Chiauli arcem, & propugnatores ipsos partim cæsos, partim in seruitutẽ abductos: Quid tũ putatis reliquum, nisi vt illa tot victoriis ac triumphis, tantaque ac tam incredibili maiorum nostrorum virtute in Oriẽte parta, perque omnes orbis terrarum plagas longè latéque diffusa Lusitani nominis celebritas, veluti momento pereat? Dum subitò crebris fama rumoribus falsa inuoluens veris, totam per Asiam, indeque per Africam, & Europam vulgat, superatos ab imbelli Indo Lusitanos, iam ab Chiauli finibus locisque aliis esse pulsos, & abesse parum quin à tota India summo cum dedecore & ignominia expellantur. Iam verò, quod me magis angit, quónam ruet res Christiana? Num dubitare possumus, quin Lusitanorum arce ab infideli hoste capta, magnam iacturam fides nostra sit habitura? Vt enim cõpertum omnibus est, religione stare imperia, atque eam demum firmam esse fortunatámq; rẽpublicam, quæ vnius veri Dei fidem & pietatem constanter colit; ita nemo vestrum ignorat, ad propugnandam conseruandamque in hisce gentibus Christi religionem, permagni interesse,

quàm

quàm feliciter cum hoste congrediamur, quo euentu geramus bella, quàm fortiter vim illatam repellamus; nec posse res nostras, sine maximo fidei incommodo, detrimentum pati. Sed quid ego meis vos sermonibus demoror? ite, ite alacres, quò vos Deus, quò Lusitani Regis nomen, quò nominis vestri decus, quò tandem cuncta diuina & humana iura vocant. Imperatorem vestrum sequimini præeuntem. Addite vos illi & in periculo & in gloria socios. Vix dicendi finem Gonzalus fecerat, cùm magna in tota concione excitatur admurmuratio, atque ad arma clamantium strepitus.


Ergo bellico omnes spiritu agitati, templo confestim exeunt, domos petunt, arma capiunt, ad littus se proripiunt, parata nauigia conscendunt, è portu soluunt, velis remisque properant, Chiaulum appellunt. Hæc autem omnia adeò promptè festinéque expediunt, vt ante vigesimum diem auctore & comite Gonzalo tanta Lusitanorum militum copia ad Chiauli oram præstò prætori fuerit, quanta in tota Indica ditione, in grauissimis difficultatibus cogi potest. Defuit tamen votis occasio; nam cùm summo tenerentur congrediendi desiderio, hostem, quo cum confligerent, haud repetere. Vbi enim Melicus rem nouit, adeò graui perculsus terrore est, vt obsidione statim soluta, turpi fuga sibi, suísq; consuluerit. Quandocũque Gõzalus castra sequebatur (quod faciebat nõ raró, ac tum potissimùm, cùm ad bellum prætor ipse proficiscebatur,) in eo totus erat, vt militum animos

ſalutaribus inſtitueret præceptis; atque ad obeundam, ſi mori in prælio contingeret, Chriſtiano ritu mortem egregiè præparabat. Ob hanc cauſam non ſolùm militarem turbam oblata opportunitate ad locum aliquem cogebat, ibique apprehenſo manibus crucifixi Chriſti ſimulacro, & conſcenſo tumulo, ſi quis erat, vel ſaxo pulpiti loco, vt videri audiríque faciliùs poſſet, de Diuina in primis caritate, qua qui moriens caret ad inferos deiicitur; de fide, de obedientia, de Iuſtitia, de vera fortitudine, de recta confeſſionis, & Euchariſtiæ ſacramenta ſuſcipiendi ratione, deque id genus aliis militi neceſſariis vtiliter diſſerebat: ſed etiam quocunque ſe loco occaſio & tempus dabant, pœnitentiæ lauacro expiabat, vt purgatis ritè animis nulliſque peccatorum ſtimulis conſcientiam pungentibus, conſtantiùs & alacriùs in pericula ruerent. Per id tempus Conſtantinus Iamij Brigantinorum ducis filius, Theodoſij frater, regio præfectus cubiculo, vir omni virtutum genere cumulatus, ſummo cum imperio in Indiam ab Rege Sebaſtiano miſſus, vt eam prouinciam, quā pro Petro Maſcaregna vita functo Franciſcus Barretus prætor tenebat, Prorex adminiſtraret, anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo octauo, ingenti bonorum omnium exultatione Goam appulit. Nihil potuit tanti Principis aduentu iucundius Gonzalo nuntiari. Nouerat optimos viri mores, & in Chriſti fidem, atque in omnem pietatem valde propenſam naturam. In magnam proinde ſpem adductus

ctus est, fore, vt res Christiana sub eius auspiciis maximum esset per totum Orientem habitura incrementum. Nec ipsum sua spes fefellit. sic enim Constantinus in omnibus officij sui partibus integrè se gessit, tantumque sua auctoritate & industria per barbaras illas nationes Christi fidem propagauit, stabiliuítque, vt hoc in genere nihil ferè desiderari vlteriùs potuerit. Multa Gonzalus ad pietatem attinentia à Constantino petiit, & facilè impetrauit. Inter reliqua illud, vt celebre & magnificum toto Oriente templum Thomæ Apostolo, Indiæ patrono, Goæ erigeret. Petitionis causa fuit, quòd anno post ipsius Constantini in Indiam aduentum secundo, (is erat à Christo nato quinquagesimus nonus post millesimum quingentesimum) Narsinghæ Rex cum præpotente exercitu, in quo sexaginta & ampliùs armatorum millia, & Elephantorum ingens copia, Choromandelem inuadens, præter multos mortales in seruitutem inde abductos, plurimamque magni pretij & varij generis supellectilem, sacras etiam abstulit beati Apostoli Thomæ reliquias, arcula affabrè & scitè laborata inclusas, quæ Meliapore asseruabantur. Quamquam Rex barbarus, vbi nouit ea capsa prædictas reliquias contineri, quas sciebat apud maiores suos in summa semper veneratione fuisse, religione correptus, eam quamprimum restituendam curauit. Cùm igitur hac de re inter Proregem & Gonzalum sermo fortè incidisset, opportunum Pater bene merendi de Beato Apostolo, cui maximè erat deditus,

occasionem nactus, accusare cœpit Goensium ciuium incuriam, quòd in ea vrbe, quæ totius Indiani Imperij caput est, nullum haberent templum, quo ipse Indiæ patronus, tam in ipsos beneficus ac salutaris, priuatim coleretur. Sed nimirum hæc tibi, inquit, inclyte Princeps debebatur gloria. Te vnum Thomas expectabat, à quo dignã meritis suis, dignam tua magnificẽtia ædẽ acciperet. Vix ista Gonzalus. Prorex verò, quo erat in Apostolũ animo, pro tã grato sibi cõsilio gratias patri ingẽtes agẽs, extẽplo misit, qui darent operi initium, & quanta fieri celeritate posset, fanum extruerent amplitudine & elegantia clarissimum. Quod propter operarum multitudinem, & necessariæ materiæ abundantiam breui perfectum est. Nequeo sine piaculo præterire, quod est à multis obseruatum, omnes Gẽtiles, qui in hac extructione operam posuere (erat autem magnus eorum numerus) Apostoli Thomæ precibus adiutos à superstitionũ tenebris ad Euangelicum splendorem transiisse.

VITÆ



VITÆ GONZALI SYLVERIÆ, SOCIETATIS IESV SACERDOTIS, IN vrbe Monomotapa martyrium passi,

LIBER SECVNDVS.

Prouincialis munere in India perfūctus ad prædicandū Cafribus Euangeliū designatur.

CAPVT PRIMVM.



ANNVS agebatur humanæ salutis quingentesimus quinquagesimus nonus supra millesimum, cùm Gonzalus procuratione Indicæ prouinciæ, quam ferè triennio summa fide, nec minori exēplo administrauit, Antonio Quadrio relicta, ad disseminandum per eas nationes Christi Euangelium sese accingit. Re igitur cum Deo priùs communicata, ab eodem Quadrio quanta potest animi contentione petit, facultatem sibi faciat eundi ad Cafres, quibus per id tempus veritatis iter tot annorum milli

bus clausũ, aperiri tandem diuina benignitate cœptũ erat. Cafres populi ſunt ad eã pertinẽtes Æthiopiam, quam Ptolemæus maiorem vocat. Auſtralem incolunt Africæ partem, quæ inter Praſum promontorium & Heſperios Æthiopas ab Oriente in Occidentem plagam longiſſimo terrarum tractu protenſa, gentes continet feritate barbaras, linguis & moribus diuerſas, multitudine innumerabiles, locis infinitas. Regio ipſa Ptolemæo & aliis veteribus geographis olim ignota. Apud eoſdẽ Æthiopas pro Imperiorum diuerſitate varia nomina ſortitur. Arabes & Perſæ communiter vocant Zanguibar; incolas verò tum Zanguinos, tum Cafres, id eſt, ſine lege gentem. Nos mutuata ab ipſis appellatione, populos vniuerſim Cafres; regionem euulgato iam ac recepto per orbem vocabulo Cafrariam dicimus. Multi & varij ſunt in hac plaga Principes: reliquos opibus & copiis anteit Rex Monomotapæ, hanc ob cauſam Imperatoris loco habitus. Mozambico vicinior, & propter eboris permutationem notior Luſitanis Rex Tongis eſt. Huius filius per eos dies Mozambicum veniens, Chriſti fidem prædicãte Luſitano, & mentem intus Spiritu ſancto permouente, Gentilicas execratus ineptias luſtrali aqua tingi voluit. Sebaſtianus Sala Sofalæ arcis præfectus, vir nobilitate & pietate clariſſimus, Tongenſis Principis votum, vt par erat, mirificè probans, illum in primis idoneo tradidit catechiſtæ, Chriſtianis præceptionibus imbuendum; ſtatuit deinde, vt maxima totius inſulæ celebritate

tate & omni apparatu ornatúq; visendo, Baptismum susciperet. Quibus rebus perfectis in patriam princeps reuersus, Lusitanorum quorumdam septus comitatu, Regi patri & cæteris regni primoribus Christianæ religionis veritatem, cælestis lauacri virtutem, exhibitos sibi à præfecto, atque ab aliis honores diligenter exposuit; eosque in eandem religionem quanta vi potuit, pertrahere conatus est. Fratris suasu & exemplo princeps natu maior non difficile permotus, iamque se Christo adiũgere percupiens, Mozambicum cogitabat, cælesti lauacro expiãdus, fuissetque absque dubio profectus, nisi Rex pater profectionem impediisset, certò pollicitus effecturum se, vt ab Mozambico, primo quoque tempore mitteretur aliquis, à quo & catechesi instrui, & sacra vnda ritè perfundi possent. Itaque ad hoc obtinendum destinatur idem Princeps, qui receptum Euangelium suis denuntiarat. Is Mozambicum reuertitur, à præfecto petit patris sui verbis, Tongem mittat, qui fidei nostræ doctrinam Tongẽtibus explicet, & Regem ipsum, Reginam, Principem, dynastas, ac gentem reliquam diuino liquore abluat. Præfectus Sala negotij conditionem expendens, iudicat opus esse, vt Indicum Proregem faciat certiorem, simulque ab eo petat, aliquos ad eas gentes mittat viros, literis & virtute præstantes, qui frangant esurientibus panem, & in tenebris atque in vmbra mortis sedentibus Euangelicæ veritatis lucem ferant. Accepto nuntio Prorex, rem totam societati committit. Prouincialis Quadrius

drius à Deo primùm per orationes quærit, quid & qua ratione sit agendum: petito deinde à Patriarcha Nonio, aliisque religiosis consilio, omnẽ suam ac suorum operam offert Constantino Proregi. Cùm ergo vellet ad eam prouinciam aliquos designare, nec minùs de vllo, quàm de Gonzalo cogitaret; ecce tibi idem Gonzalus tanto animi ardore tantâque constãtia ab ipso petit, inter alios, quos ad hoc munus delegerit, se vnum ne prætereat, ea vt iniecta Prouinciali religio sit, fore vt non homini quidem sed Spiritui sancto resistat, si Gonzali desiderium, & petitionem repellat. Eius igitur votis satisfacit, & eundi ad Cafres concedit facultatem. Si quis rem hanc humano tantùm expendat iudicio, Prouincialem Quadrium, eiusque consiliarios non iniuria incusabit, quòd virum talem ac tantum, quo per id tempus maiorem, pluribusve commendabilem nominibus, neq; in Oriente, neque alibi fortè societas habebat, per summas rerum variarum difficultates, & aperta vitæ pericula, non tam ad incertam barbarorum conuersionem, quàm ad certam mortem misisse videantur. Nam si de India tantummodo agitur, quantum societatis intererat, eum Goæ virum habere, qui nobilitate, literis, prudentia, vitæ sanctimonia, rei communis studio cæterisque rebus adeò erat excellens, vt esset prorsus nemo, apud quem auctoritate & gratia non plurimũ valeret? Quis enim eo vel ad quęrenda miseris subsidia benignior, vel ad conciliandas inter se dissentium voluntates poten-
tior

tior, vel ad castigandam morum licentiam seuerior, vel ad excitandum in hominum animis amorē pietatis ardentior? Quid à summis, ab infimis, ab omni sexu, atque ab omni ætate non obtineret, qui omnibus erat summè carus, summè iucundus, summè vtilis, nulli prorsus onerosus? Iam verò quid esse causæ poterat, cur incerta ac dubia Cafrum ad Christum conuersio certissimis Lusitanorum & Gentilium tam corporalibus, quàm spiritualibus commodis anteponi deberet? præsertim cùm ad pertractandos barbarorum animos, aptiores fortasse fuerint, qui & natura & ingenio non nimis ab ipsis discrepant, modò iis sint prædit virtutibus, sine quibus nihil in hoc genere rectè fit. Quare si ad humanæ rationis calculos reuocanda res erit, non deerũt qui Prouincialis consilium improbent, quod & ipsemet, & ipsius consiliarij visi sunt improbasse, cùm statim à Gonzali profectione, ac si eos facti pœniteret, mirari satis non possent, quonam tandem modo hominis precibus, quamquam feruidis & piè importunis, vinci se passi fuerint. Cæterùm Spiritus ille Diuinus, qui à fine ad finem attigit fortiter, & omnia disponit suauiter, cùm præparatum Gonzalo haberet insignem apud barbaros vitæ mortísque triumphum, eam Quadrio, aliisque eiusdem consilij patribus iniecit mentem, vt quasi inuiti & nescientes id efficerẽt, quod postea factum à se, vehementer mirarentur, & si fieri posset, infectum vellent. Alia verò ex parte ad eam difficillimam prouinciam expetendam

dam ac procurandam duo præcipuè Gonzalum permouere; Primum incredibile quoddam iuuandi omnes atque ad Christum perducendi desiderium; quo erga illos Æthiopiæ populos tanto ardentiùs inflammabatur, quantò eos videbat reliquis ferè orbis nationibus à Christi cognitione remotiores, & ob eam caussam cæteris mortalibus longè miseriores. Alterum, aspera omnia & aduersa propter Deum tolerandi immmensa quædam sitis, quã neque in Lusitania explere potuerat neque in India poterat. Quæ aliquãdo auditus est dicere, dum hoc iter animo agitaret, hîc referre operæ pretiũ duco; sic enim ille secũ, O Cafrũ gẽs nõ minùs nunc animo, quàm corpore atra & deformis, quam opto, quamque etiam spero, vt purissimo sacri Baptismatis liquore perfusa nigrum animo colorem breui depellas. Vtinam iam inter vos ac vobiscum essem, Æthiopes mihi carissimi, vt Iesum Christum Dei filium, eiusque potentiã & maiestatẽ nota vobis efficerem. Faxit sempiternum illud numen, cuius prouidentia mundus gubernatur, vt mihi inter vos vitæ finis sit, proque salute vestra mortem sustineam crudelissimam, atque ita illud assequar, quod summopere desidero; ea nimirum in me exerceatur crudelitas, vt omnia corporis mei membra mille in particulas minutatim concidantur. Quid pati possum tam graue, tam durum, tam asperum ac difficile perpessu, quo satis queam compensare quantum debeo optimo parenti Christo, quantumque eius causa me agnosco

vobis

vobis debere, pro quibus ille præacutis clauis Cruci ſuffixus, & ſæuiſſimis confoſſus vulneribus ſanguinem totũ effudit ſuum? Hæc ſecum & his ſimilia Gonzalus, antequam ad Cafres deſtinaretur, veluti proludens, ingentes ſubeundi martyrij fouebat animo ſpes.



Ad Cafres cum ſociis proficiſcitur.

CAP. II.

DESIGNATO ad Æthiopicã legationem Gonzalo duo additi ſocij ſunt; Sacerdos vnus, Andreas Fernandius; Laicus alter, Andreas Coſta, nota vterque probitate vir, & negotio aptus. His comitatus ſub ipſum profectionis articulum adit Proregem, quo ſalutato ac valere iuſſo, acceptiſque inſuper ab ipſo ad Reges Tongis & Monotapæ literis ac pretioſis muneribus, Chiaulum contendit. Paratam ibi reperit nauim onerariam, qua in Sofalã conducendus erat Pantaleo Sala, Gonzali propinquus, vt Luſitanorũ arci cum imperio præeſſet. Chiaulo feliciter ſoluit idibus Ianuariis, anno Chriſti nati M. D. LX. Toto nauigationis tempore pietatis & Religionis operibus ſeſe exercuit. In Beatiſſimam Virginem Deiparam, quam viæ ducem ac præmonſtraticem delegit, eius ſtudium præcipuè enituit: meditandis enim illius virtutibus & ornamentis integram diebus ſingulis horam à prandio decreuit, quandiu duraret

raret nauigatio. Primos tredecim dies, coactis ex mandato Nauarchi ad horam certam atque ad certum nauis locum quotquot in ea ex militum & nautarum genere vehebantur, non minori omnium voluptate, quàm fructu, de magnæ Matris laudibus summa animi contentione dixit, instituitque, eodem Nauarcho assentiente, primùm vt vno quoque sabbato, deinde vt diebus singulis eiusdem sanctissimæ Virginis litaniæ solemniter decantarentur. Nec verò beatissima Virgo pietati defuit suorum; ipso enim purificationis die nauigantibus monstrauit terram, cuius aspectu plures dies caruerant. Sed repentinus casus gaudium turbauit; tanta enim derepente tamque insolens, ea anni tempestate exorta procella est, vt integram noctem mari toto errarint, incerti de via. Cumque ventorũ vi nauim retrò agi crederent nautæ; ecce tibi illucescente die iterum Mozambici terra, & in ea eminens templum Deiparæ Virgini, cui à propugnaculo cognomen, religiosè dicatum, summa omnium lætitia & acclamatione cominus monstrantur; vt nemini dubium fuerit, quin Virgo sanctissima mediis in vndis nauim rexerit, tutamque ad portum adduxerit; & singulari beneficio gratam se suarum laudum prędicatori simul, & auditoribus exhibere voluerit. Obseruatum est, quo primùm tempore apparere terram nauicularius clamauit, Gonzalum recitandis horariis precibus intentum, tunc illum Psalmi 104. versiculum dicere, Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt

vt luceret eis per noctem, quæ ille omnia præsenti Deiparæ patrocinio accommodabat. Vtque igitur ad portũ appulsa nauis, & facta descensio est, Gõzalus subitò ad illud ipsum Virginis templum, quod apparuerat, nudis pedibus se confert, aliquot ibi dies permanet, assiduæ intentus orationi, nec summis Pantaleonis precibus moueri potest, eius vt domum diuertat; tãdiuque inibi permãsisset, donec intermissa in Monomotapæ vrbem nauigatio repeteretur, nisi acerrimè obstitisset Franciscus Barretus, is qui Indica functus prætura Proregi Constantino imperium cessit. In Mozambico tunc Barretus erat, quam in Insulam, cùm in Lusitaniam nauigaret, maris fortuna fuerat delatus. Vbi ergo accepit Gonzalum in eo Virginis sacello commorari, nec alibi esse velle, hominem conuenit, discalceatum reperit, & repugnantem vi penè adigit, vt inde in ipsius domum se recipiat. Quæ fuerit Gonzali frugalitas, quanta animi moderatio & in conuictu vsuque cõmuni temperantia, præterire sine reprehẽsione non possum. Cùm nauigium partim detineretur malacia, partim aduersis ageretur ventis, atque eorum vi distractum nauigationem faceret solito tardiorem, prudens nauicularium incessit timor, ne deficeret commeatus, nisi ad angustas parsimoniæ regulas se stringerent. Mandatum ergo cellario, vt quotidianũ victum cautiùs arctiùsque dispensaret. Gonzalus eo tempore, quia facere aliter non poterat, ad ipsius nauicularij mensam, quæ nullis arctabatur par-

 simo

ſimoniæ legibus, ſumebat cibum, eam tamen moderationem ibi ſeruabat, vt præter communem portionem, quæ recenti nauis lege cuique fuerat ſtatuta, ac ſi vnus eſſet è naualibus ſociis, nihil ampliùs reciperet. Cubiculo in naui vtebatur exiguo & perangusto, nec vlla peruio feneſtella, qua poſſet vento inſpirari. Ab eo Gonzalus in maximis ſolis ardoribus, quibus per illam Africæ oram terreri ac decoqui nautæ ſolent, ne momento quidem recedebat, niſi inde vel proximi caritas, vel honeſta neceſſitas ipſum extraheret. Idem vt ſocij facerent, vehementer ab eo commendatum. Dicebat enim in hiſce nauigationibus illud certiſſimè vſu venire, vt religioſi, qui faſtidij leuandi cauſa ſe in publicum dant, aliorumque conuictui & colloquiis interſunt, non illis tantùm careant ſuauiſsimis animi voluptatibus, quibus perfruuntur ij, qui ab hiſce rebus ſe abſtinēt, qui ſilēt, qui ſuis ſe continēt latibulis; verùm etiāſi quid habebāt ſpiritualis ſucci, totum id, veluti ardentiſſimis expoſitum æſtibus, penitus amittant. Quas autē Gonzalus inter nauigandum cæleſtes hauſerit voluptates, vel inde colligi poteſt, quòd affirmare auſus ſit, in ea ſe nauigatione fuiſſe expertum, Deum eſſe cibum, qui multò meliùs in mari, quàm in terra animis ſapiat.

CAP.



E Monzambico in Inhambanem soluit, & inde ad Regem Tongis vnum è sociis præmittit.

Cap. III.

VBI Mozambicum Gonzalus tenuit, mox ad Tongensem profectionem animum applicuit. Cùm verò Pantaleo illa ipsa naue paucis pòst diebus in Sofalam esset profecturus, possetque Gonzalus, si vellet paululum subsistere, eadem commodè vehi, moræ impatiens, quia nihil tunc habebat potiùs, quàm vt Tongis Regem & Reginam Euangelij splendore illustraret, sacróque Baptismi lauacro perfūderet, relicto Pantaleone, eiusque nauigio, Zambucum conscendit, & ad vrbē Tongem dirigit iter. Est Zambucus, nauigij genus ex palma plerumque, ex alia quandoque materia confectum. Latera habet non ferreis, aut ligneis connexa clauis, sed caïro, hoc est, stupeo quodam filo, canabi & sparto simili consuta. Cæteris ferè rebus incommodum, vna sola securitate laudabile. Nisi enim vi procellarum aut fluctuum dissuatur, maris pericula egregiè euadit. Nam ad breuia, & syrtes impactum sine damno est, cùm maris æstu recedente, quibusdam nixum furculis, veluti in pedes rectum, in vado consistat. Gonzalus igitur cum duobus domesticis sociis,

totidémque externis, Quadragesimæ tempore, Mozambico soluens, per immensos solis ardores, ac non mediocres alias cæli saliq́ue difficultates relicta Sofala, ad Inhambanē, qui primus est Tongensis Regni portus, defertur. Ab ipso statim appulsu morbus eum grauissimus sic inuasit, vt penè ad exitum eius vitam adduxerit. Quo enim primùm die ab Inhambanis portum appulit, ingenti humorum copia ad guttur confluente, parum absuit, quin suffocaretur. Acies verò oculorum sic hebetata est, vt ipsis apertis nihil videret. Ad hæc, præ debilitate vix corpus versare, vix caput tantisper attollere, vix alia præstare leuiora. Ex quo subinde factum, vt ingrauescente in dies morbo, non semel se ad obeundum diem compararit, de martyrij beneficio cæteroquin certus. Hunc ergo in modum animo & corpore vehementer afflictus, qua potuit ratione, ægerrimum corpus sustulit, manibusque ac pedibus reptando, in locum vicinum traxit, vbi sub arboris vmbra considens, sublatis in cœlum oculis, corde magis, quàm voce, Cafrariæ negotium, vt credere par est, cum Deo agit. Tum ad Deiparam conuersus, quam eo die, (sabbatum erat) colere impensiùs solebat, ad inceptum opus prosequendum, eius apud filium opem, operámque efflagitat. Ab hac oratione actutum febris recedit, & vires sensim restituuntur. Vt habere meliùs cœpit, ad inchoatum opus refert animum, atque ab Inhambanis portu, qui ab vrbe Tonge leucas fermè triginta terrestri itinere distat, cum

Cafri

Cafribus quatuor Andream Fernandium mittit, vt de ſuo aduentu Regem moneat. Breui ac facilè Tongem Cafres perueniunt; tanta enim ſunt agilitate corporis, vt volare potiùs videantur, quàm pedibus incedere. Andreæ tamē, qui vt animi ſubmiſſionis præberet exemplum, Cafrum humeris vectari recuſauit, magno prorſus ſtetit, tanta eos celeritate comitari: ſed vires homini Deus ſuffecit: nam ſi quod exhiberet defatigationis ſpecimen, nullo ab iis haberetur in pretio, & in via forſitan relinqueretur; tantum inexpedita aptaque ad ambulandum corporis compoſitione putant eſſe momenti. Vbi ad vrbem ventum, Regem Andreas conueniens, Gonzali verbis ſalutat. Illum Rex ſatis honorificè, pro more ſuo, ac beneuolè excipiens læto animo eſſe iubet; & paulò attentiùs intuens, vehementer miratur, quid in tam ſenili ætate, (valde enim ſenem ex canitie reputauit, quamuis non eſſet) tam longum iter tanta celeritate pedibus confeciſſet. Illico mandat, vt ad deferendum Gonzalum aliqui quàm ocyſſimè proficiſcantur; inter eos, in ſignum cuiuſdam præcipui honoris, nonnullos etiam mittit ſibi ſanguine coniunctiſſimos. Interim Andreas Fernandius hoſpitio tenui, ſed pro gentis vſu & more, ſatis nobili, & amplo, ad quietem exceptus, regiis muneribus & ſalutationibus fouebatur. Frequēter ad eum Regis filij ex patris mādato ventitabant, & propoſitis de religione variis vltro citróque dubiis ad multum tempus ſermones trahebant. Inter alia munuſcula ipſo

primo die. Elephantis dentes ad Andream Rex misit, quos ille habita primùm ad eodem Rege facultate interpreti donauit. Dum hæc ita se habent, ex recenti itineris labore, atque ex nimia cœli solique inclementia grauissimum Andreas morbum contrahit, quo & propter vim febris & propter extremam rerum omnium inopiam acerbissimè vexatur. Lectus illi nuda humus; cibus, præter pultem ex Indici milij farina cum sale mista, aliud prorsus nihil. Hac ratione cùm per dies aliquot, humanis remediis omnino destitutus, grauissimè afflictaretur, ope tandem diuina, ante Gonzali aduentũ, febri solutus est.



Tongis situs, & incolarum mores describuntur.

CAP. IV.

TONGE regia vrbs est, & regni caput, vltra æquatorem gradibus circiter tribus & viginti ad austrum sita. Magno alluitur flumine, quod inibi maris æstuario exceptum, propter immistam salsuginem, incommodos habet ad potum latices. Nec alibi in vrbe aqua ad bibendum apta, nisi à remotis fontibus importetur. Loco iacet humili, montibus interclusо, & imperuio ventis. Totum per annum, tribus aut quatuor duntaxat mensibus exceptis, cùm videlicet ad Cancri tropicum sol cursum efficit, tanta æstus vis, vt torreri omnia videantur. Insigni

ſigni cœli & ſoli malignitate, aduenis maximè, noxia eſt, & penè intolerabilis. Prope loca maritima tantum communiter pluuiarum eſt, quãtum ad humanos vſus ſatis. Summa in continenti ſiccitas; ex qua oritur, vt ſæpe ſegetes vel non naſcantur, vel natæ humoris inopia, ad maturitatem non perueniant. Indicum milium terra fert, fabam, cicerem, phaſeolum, & cætera ferè legumina. Gallinam nutrit abundanter: boum genus locis paucis & parcè, minorem pecudem pluribus & largiùs. Communis incolarum victus elephanti caro eſt. Magna huius armenti per agros & ſyluas copia, qui eius venationi incumbunt, certo à reliquis differunt ſigno, quod etiam inurunt filiis, vt diſcernantur ab aliis, qui eo de genere non ſunt. Ad hanc venationem centum quinquaginta Cafres plerumque coeunt. His diſtributa officia, partim elephantorum greges agris palantes quærunt; partim propè nemora, arctos ad tramites, quibus anguſtus eſt ad interiorem ſyluam aditus, armati ſecuribus occultantur. Priores fugere in nemora elephantos compellunt: poſteriores, cùm beſtiæ per anguſtas illas ſemitas ſingulatim (plures enim ſimul vnus aditus non capit) cæco ſeſe impetu in ſyluam recipiunt, magna vi, & dexteritate earum poplites ſic à tergo feriunt, vt vel ſtatim, vel paulò pòſt, cùm tantam corporis molem ſuſtinere non poſſint, in terram concidant. Hoc vbi factum, vtraque ſimul conuenit venatorum caterua, & cæſa animalia in fruſta ſecat. Proboſcidem, quæ pars eſt potior, regi

destinant; reliquam inter se carnem, eburque partiuntur; atque illam ad esum, hoc ad commercium seruant. Vulgus vna antè & altera retrò pelle tantùm pudenda tegit; cætera nudum. Nobiles linteum induunt ex gossipio, sex vel septem longum vlnas; illud stringunt in medio, cingũlis ex arboris cortice confectis: appendunt insuper à collo gladiolos, filo adeò breui, vt vix infra alas demittantur. Ex nobilioribus aliqui Indicis vtuntur vestibus; mediisque brachiis, & cruribus, siue ex ebore, siue ex ære, cui apud illos maius pretium, armillas sibi circundant, ornatus causâ. Arma omnibus communia, præter gladiolos, de quibus dixi, sagittæ sunt, & frameæ. Ad virilis sæuitiæ & feritatis ostentationem, capitis capillos variè intorquent, & in cornua figurant. Ditiores extremis cornuum partibus induunt aurum, vt elegantiores videantur. Fœminæ sibi vestes modo suo texũt, iisque tegũtur, additis à pectore & tergo globulis plurimis precarios imitãtibus. Mille in capite effingũt orbiculatim formas, abrasis ad id capillis. Cafres porrò omnes, qui Tongẽsi Regi obediũt, ex iis ferè sũt, quos patrio vocabulo vocãt Mocarangas, genus hominum non nimis ad malum procliue. Multò maximam Cafrariæ partem tenent alij, ingenio nequiores, quos Botongos appellant. Hi ex damnata Mahumetis superstitione circumcisionem acceperunt, nihil aliud. Omnes communiter vllum esse in mundo Numen, vllum post mortem præmium aut pœnam, vlla in hac vita bona vel mala opera, inFician

ficiantur. Itaque neque idola, vt deos colunt, neque vitæ alterius vllam habent in gerendis rebus rationem. Cùm quidquam à quoquam fit, tūc fieri rectè putāt, cùm fit ex arbitrio & sentētia facientis. Auguriis, veneficiis, incantamentis, magicis præstigiis ita dediti ſunt, vt ab iis difficillimè auellantur. Cùm quis apud ipſos diem obit, eius mortem diligenter occultant, & quo ſepeliant loco, aliis vt ignotum ſit, ſedulò curant. Creduntur enim ſecum mortem ferre, qui cum moriente, aut mortuo fuere, & ob id facilè ab amicis deſeruntur. Omnem cuiuſcunque morbi & mortis cauſam in aliquo homine ſitam eſſe putant. Vt verò eum agnoſcant, veneficos conſulunt, quibus tantam habent fidem, vt quem ipſi deſignant mali auctorem, confeſtim ſi poſſunt, è medio tollant. Ita paulò ante Gonzali aduentum Rex Tongis fecerat. Cùm enim ex veneficis accepiſſet filiū, quē per eos dies amiſerat, ideo fuiſſe mortuum, quòd alius quidam eius inſtitiſſet veſtigiis, ſtatim miſit, qui miſerum hominem ferro confoſſum auferret è viuis. Vocum & inſtrumentorum cantibus maximè delectantur. Choreas exercent, variáſque in iis bellatorum actiones imitantur. Nunc enim vel obſidentes vrbem hoſtes, vel ciues ab hoſtibus obſeſſos, nūc milites repentè coortos, multis ſimul partibus inimica caſtra inuadentes; nunc acies ad ineundum prælium aperto in campo hinc inde expoſitas; nunc alia eiuſdem generis compoſitis artificiosè ſaltibus mirificè referunt. Ad hæc ſpectacula pro-

 deunt

deunt, tum rebus aliis, tum etiam leonum ac tigrium pellibus, aliorumque animalium exuuiis, more suo, diligenter exornati. Pelles sic implicant corpori, vt cùm, pede stantes in vno, summa celeritate se in gyrum vertunt, amplos in orbem aperiant sinus; quod inprimis magnificum & visu delectabile apud ipsos existimatur. Cùm dissolutis choreis ad suum se quisque locum recipit, captam pede arenam tam altè proiicit, vt aciem vincat oculorum. Quando stabilire aliquid iuramento volunt, vel terræ pugillum, vel incensam fauillam manu sumunt, & insufflantes demittunt in terram, tum iureiurando rem affirmant, aut negant. Solemnior alius est iurandi modus, atque is talis: Primùm ante bellicum Regis tympanum, cuius ad leucas quatuor auditur sonitus, poplites flectit iuraturus: eius deinde corio dextram imponit: tum illud osculatur: demum hæc ipsi, ac si non tantùm sensum & rationem, sed etiam diuinitatem habeat, verba facit: Iureiurando adigor confiteri, an tale crimen susceperim. Si factus reus sum, en adsum, cædito me; si culpa careo, ne patere innocenti mihi vitam eripi. His dictis, manum iterum tympano imponens, osculumque repetens, surgit. Tanta verò illis barbaris in hac tympani cærimonia religio est, vt credant illico moriturum, qui eo modo falsum iurarit. Impensè venerantur Mosibum (sic appellare videntur fortunam, quam & Arabes nonnulli, & alij Ethnici Nasibum vocãt.) Hunc Mosibum & suis maioribus fuisse, & sibi quoque

que

que aiunt esse propitium, cùm faustè res cedūt. Huic acceptum referunt, quòd gratia valeant apud alios, quòd prosperè negotia agant, quòd lucrentur. Et verò, licèt Cafres vniuersim nec Deum colant vllum, vt dixi, nec immortales esse hominum animos agnoscant, eorum tamen nonnulli ex frequenti cùm Lusitanis & Saracenis consuetudine Numen aliquod esse fatentur, quod Vimbe vocant, & immortalitatem concedūt animorum. His religio nostra vtcunque arridet; sed ingenio adeò sunt obtuso, & crasso iudicio, vt puerorum instar, facilè suscipiant Christianam fidem, facilè relinquant susceptam. Quid enim hominis intersit, Christi legem profiteri, & seruare, haud satis capiunt. Hoc tam illis ex hac mentis hebetudine consecutum est bonum, quòd cùm superioribus annis ex Mahumetana impietate quidam, cuius ignoratur nomen, multò maximam Cafratiæ partem fœdissimis pseudoprophetæ erroribus imbuerit, præter circumcisionem, quam vt suprà memoraui solùm retinent Botonghæ, nullum prorsus aliud nefandæ superstitionis vestigium in hisce hominibus relictum sit; vt ad Christiana sacra suscipienda, hac etiam ex parte minùs sint impediti. Cum tanta animi tarditate concordant gentis mores. Hi planè ferini sunt, nec vlla culti disciplina. Nihil nisi commodi sui causa, faciunt. Deberi sibi, ac sua esse credunt omnia, quæ dono accipiunt: vnde nulla apud ipsos beneficiorum memoria. Si quem ex iis insigni aliquo beneficio mane afficias, & leue tibi

tibi ab eo exhiberi officium veſpere deſideres, niſi pretium ſoluas,non obtinebis. Iuſtitiæ, cuius tantus eſt ſplendor, vt latere non poſſit, ne nomen quidem agnoſcũt. Id ſibi licere putant, quod libet.Sua cuique voluntas agendi lex eſt. Nec timore Numinis,nec amore virtutis à ſcelere manus abſtinent.Furta,cædes,adulteria, & quidquid grauius eſt,cùm nihil ab iis, quos lædunt,ſibi timent,facillimè perpetrant. Filij à parentibus ne leuiter quidem increpiti, quantumuis ipſis non ſolùm ſcientibus; ſed etiam ſpectantibus delinquant. Quare illa omnium domina ac regina ratio, vix maius in his,quàm in beſtiis,à quibus omnino abeſt,exercet imperium. Veruntamen Luſitani ſunt prudentia & iudicio præſtantes,atque in illis Cafrariæ regionibus diu multúmque verſati, quibus gentis natura,moréſque optimè noti, qui negant Cafres ſic eſſe natura rudes, vt nequeant bonis moribus imbui,ſi excolantur; illámque peruersè viuendi,pérque omnia ſcelera liberè vagandi rationem non ad ingenitam eorum feritatem, ſed ad inueteratam inter ipſos per tot ſecula & ætates impune agendi conſuetudinem,putant eſſe referendam. Compertum enim eſt, eos ab incultis illis Æthiopiæ ſaltibus in Luſitaniæ vrbes oppidáque abductos politioris vitæ vſu miteſcere,& humanis atque etiam vrbanis moribus aſſuefieri.

Tongem



Tongem Sylueria defertur, & Regem regiosque baptizat.

CAP. V.

GONZALVS ſub ipſas ſanctioris hebdomadæ ferias, morbo diuina ope, vt dixi, ſuperato, poſtquam ſacra moriẽtis ac reſurgentis Chriſti myſteria, concurrentibus ad Inambanis portum omnibus, qui circum erant, Luſitanis, Eccleſiaſtico ritu celebrauit, mox Cafrum humeris ſublatus, Tongem defertur. Vt autem ipſum, & eius ſocium Andream Coſtam aduentare audiſſet Andreas Fernandius, ſicut erat, corpore admodum imbecillo, & viribus penè conſumptis, contineri non potuit, quin procul ab vrbe obuiam procederet venientibus, & ſe infirmum infirmis coniungeret. Gonzalus enim nondum erat viribus confirmatus, & ipſe Coſta valetudine etiam vtebatur valde incommoda: vbi ad congreſſum venere, vix dici poteſt, quanto, inter præclara fraternæ caritatis & beneuolentiæ ſigna vtrinque exhibita, gaudio ſpiritus perfuſi ſint. Non putauit Gonzalus ſibi cunctandum. De via feſſus, nec ſatis conſiſtens, Regem adit, datas ipſi à Conſtantino Prorege literas offert, aduentus ſui cauſam exponit. Hiſce rebus maiorem in modum lætus Rex, ita in primis literas accepit, vt ſe à Prorege ſingulariter honoratum, palam teſtificaretur. Mox

Regi

Reginam, principes filios, cæterámque domus suæ nobilitatem ad audiendum Gonzalum acciri iubet. Adest frequens aulæ regiæ nobilitas. Adsunt & alij Cafres notæ inferioris, nobilibus permisti. Tũ attentis omnibus ac stupentibus de Christi fide dicere Gonzalus aggreditur, primáque ponit Christianæ doctrinæ fundamenta. Pauca eo die inculcata; reliqua in sequentes omissa, & pedetentim exposita; donec aptè omnes Christianis præceptionibus instructi, & cælesti lauacro idonei iudicati. Tum verò celebritate, vt locus ferebat, maxima, splendidóque rerum variarum apparatu, lustrali aqua simul aspersi Rex, Regina, Regij liberi, propinqui nobiles permulti, & quotquot ferè in aula erant. Constantini nomen impositum Regi, in memoriam & magni Constantini Imperatoris, sub quo florere Christiana religio olim cœpit, & Constantini Brigantij tunc Indiæ Proregis, de ipso Tongẽsi Rege, deque eius ad Christi conuersione optimè meriti. Regina Catharinæ, Reginæ soror Isabellæ nomen accepit. Illa à Catharina Ioannis Tertij Lusitanorum Regis coniuge, & Caroli Quinti Imperatoris sorore, hæc ab Isabella Odoardi Principis vxore, Iamij Brigantinorum ducis filia, atque eiusdem Proregis Cõstantini sorore. Regis filij & alij viri principes aliis quoque Lusitanorum principum nominibus honorati sunt. Septem hîc hebdomadas commoratus Gonzalus est; quo tempore tantùm Christo adscripsit Æthiopum numerum, quantum studiosissimus quisque posset

optare,

optare, ſed non erit à loco alienum, quid ipſe hac de re, ad ſocios, qui in India erant, è Cafraria ſcripſerit, ex quadam eius epiſtola proponere. ſic enim poſt alia: Duplici ego de cauſa, cariſſimi fratres, hæc ad vos ſcribo: prima vt illud meminerim, quod nemo veſtrum ignorat, neque ignorare poteſt, ſi Deo, eiuſque obſequio iuxta ſacroſanctæ obedientiæ præſcriptum totos nos ac penitus tradiderimus, fore, vt ille nobis vita & ſalus ſit, omniáque ad vitam & ſalutem neceſſaria abundantiſſimè ſuppeditet: altera eſt, vt intelligatis, cùm morbo aliquo vel alio vitæ incommodo Dei cauſa præpedimur, tunc ipſum per ſe noſtra gerere negotia, & otioſam atque inanem eſſe hominis operam, quando ſine illa aliquid ſibi diuina bonitas agendum aſſumit: quare ſiue vllam ſanitatis paſſi iacturam, ſiue aliis inuoluti malis à propoſito retardemur, ferenda nobis æquo animo omnis rerũ viciſſitudo eſt, ac tota noſtri, noſtrorúmque negotiorum cura in Deum iactanda; ipſíque infinitæ ſemper agendæ gratiæ, quòd efficere ſolus velit, quæ nos ob animi noſtri elationem & prauitatem corrumperemus potiùs, quàm efficeremus. In nobis ipſis obſeruate, cariſſimi fratres, quod dico. Cùm enim grauiſſimo omnes teneremur morbo, eſſem úſque ad omnia planè inepti, multò plus diuina præſtitit bonitas, quàm viribus integris ſperare, aut etiam cogitare nos ipſi poteramus. Nihil igitur noſtra ægritudo nobis, aut Cafrum conuerſioni incommodauit; quin potiùs magnum attulit adiumentum, vt &
virium

virium noſtrarum infirmitatem, & immenſam Dei clementiam meliùs agnoſceremus. Quod ad me attinet, in Monomotapæ regnum, Duce numine, propediem proficiſcar. Aiunt plurimum illic Dæmonem artibus ſuis, & præſtigiis valere, nec miſeros tantùm Cafres vanis ſuperſtitionibus irretitos dare in barathrum præcipites; ſed iis quoque, qui à vero Deo ſtant, inſidias tendere, & miris in eos modis ſæuire. Ego cæleſti fretus auxilio diaboli vim & dolos nihil timeo. Tantùm opto, ita me Deus iuuet, ab eius diuina voluntate vt ne latum quidem vnguem vnquam diſcedam. Hoc vt præſtem, veſtris mihi precibus obtinete.



Tongis Rege ſacra vndâ expiato, aliquot poſt dies relictis ſociis in Mozombicum Gonzalus reuertit.

CAP. VI.

TONGENSIVM Rex Chriſti militiæ feliciter adſcriptus, illud inprimis ſedulò curauit, vt per literas Baptiſmi beneficium Proregi Conſtantino, ſecundùm Deum, referret acceptum. In Conimbricenſis Collegij Societatis Ieſu archiuio literarum exemplar repertum eſt, Luſitana lingua ſcriptum, quod in Latinam bona fide

na fide conuersum hoc loco ponam. Excellentissime Domine, nolim ad litteras tuas responsum à me expectas aliud, quàm quod ab eo dari potest, qui à veri Dei cognitione, atque ab amore Christi Iesu libertatis humanæ assertoris tot annos alienissimus fuit. O quantum toto anteactæ vitæ tempore à recto veritatis tramite aberrabam, dum omni ope & opera conabar populos mihi subditos in officio continere, nec curabam interim, vt æterno Principi ac Regi regum Deo debitam præstaremus obedientiã. Non possum equidem tuam in me beneuolentiam, & caritatem non summopere mirari. Fame consumptus miserè peribam, sed tu, Inclyte Constantine, ac tuus inprimis Rex, firmissimum religionis columen; meum mihi porrexistis panem, ad Christi, inquam, fidem, ad cæleste lauacrum, ad diuinas Christianorum epulas nihil tale merentem, nihil tale cogitantem per ministros vestros me inuitastis & perduxistis. Laudetur infinitè Deus, qui lucis suæ radiis mentem meam illustrat, vt apertè videam, quàm sublimis hæc sit, quam media Christi fide, inter nos contrahimus, cognatio; quantùmque mea intersit, cum potentissimo & maximo Lusitaniæ Rege, atque etiam tecum, qui pro illo rem Indicam administras, societatis iure esse ligatum. Qui enim enarrare valeam, quæ & quantæ ex hoc religionis & amicitiæ vinculo mihi & regno meo proueniant vtilitates, siue temporalia bona spectentur, quæ finem habent, siue æterna, quæ sunt perpetuò duratura? Talibus enim sociis ho-

nor nobis tantus eſt, vt eſſe maior non poſſit; redditus,& vectigalia ſummopere augentur; ſtabilitur regnum, eiúſque ſecuritas; & quod eſt longè optimum, magiſtros accipimus, à quibus docemur,& quonam modo rectè nunc viuere, & æternam poſtea conſequi poſſumus felicitatem. Quare inuictiſſime Prorex, tibi ac Regi tuo me regnúmque meum libentiſſimè offero. Quàm verò ex animo hæc faciam, teſtis ipſa ſit, cui me ſacramento obligaui, Chriſti religio. Illud te multis ac ſupplicibus verbis oro atque obteſtor, vt qui nobis per tuos ſalutis monſtraſti viam, per eoſdem, duce inprimis Deo, quantum erit in te, iuues, ne ab ea, vllis vitæ incommodis retardati, vel minimum deflectamus. Vale. Gonzalus etſi diebus ſingulis multos Tongenſes per Baptiſmũ Chriſto iungebat, nec putabat difficile fore, vt ſi in eo regno diutiùs perſiſteret, humani generis hoſtis ab eo fauente numine, penitus depelleretur; quia tamen maximi illius Monomotapæ Imperatoris ad fidem conuerſio tandiu expetita, cuius potiſſimùm de cauſa illud iter erat ſuſceptum, vehementer ipſum vrgebat, re priùs cum Deo communicata, ſtatuit tandem relictis in Tongenſi regno ſociis, qui tam feliciter inchoatum ibi religionis opus proſequerentur, in Monomotapam proficiſci. Regem igitur Conſtantinum adit; quid conſilij ceperit, exponit; relictos ſocios, & nouum Chriſti gregem eius curæ ac fidei obnixè commendat, demum bona cum venia Inhambanem repetit. Multos in via Chriſtianis præceptis priùs informatos,

quatenus

quatenus temporis ratio patiebatur, salutari aqua abluit; inter quos nonnulli Xequij, Betangarum reguli, fuere. Ad regna quoque vicina ex itinere diuertit, iisque Euangelij lucem intulit. Cum iis verò, quos Christo lucratus est, Regis alterius, Tongensi potentioris, filius fuit, quem Mozambicum secum duxit, vt solemni ibi pompa, & apparatu magnifico Christianis Sacris initiaret. Rex autem ipse non solùm passus est ab se filium abduci, verumetiam Gonzali prædicatione in rem Christianam egregiè affectus, & se fidelium numero aggregari, & fidei nostræ leges suo in regno ab Euangelicis præconibus diuulgari percupiebat. Sed res in tempus aliud opportunè dilata. Ad Inhambanis igitur portum peruenit Gonzalus; inde Mozambicum contendit, vt nauigium & reliqua ad Monomotapicam profectionem necessaria compararet.



Gonzali socij post maximos labores apud Tongenses exantlatos Monzambicum atque Indiam repetunt.

Cap. VII.

FERNANDIVS, & Costa Gonzali socij, cùm ob alias causas, tum ob eam maximè pa-

tris diſiunctionem ægerrimè tulere, quòd eius carere cogerentur conſpectu, quo adiutore ac ſocio nullas difficultates, quæ in hoc promulgãdæ fidei miniſterio ſolent eſſe plurimæ, & grauiſſimæ, nulla etiam incommoda pertimeſcerent. Sed illud inprimis eorum animos ſolicitabat, angebatque vehementer, quòd parentem optimum, deſertum à ſuis, atque omni humano auxilio deſtitutum, per ignotas Cafrum regiones, perque immenſos animi & corporis labores in apertiſſima vitæ pericula ire permiſiſſent. Cæterùm à Gonzali diſceſſu, ſic vt erant mœſti & anxij, ad fidei negotia conuertêre ſeſe; cœperúntque pro ſua quiſque facultate gentilicas ſuperſtitiones radicitus extirpare, hoſtiliter veneficia perſequi, dæmonum fallacias & præſtigias prodere, vnius veri Dei cognitionem animis inſerere, immortales eſſe mentes hominum, & decreta poſt hanc vitam bonis præmia, malis ſupplicia, aliáque Chriſtianæ, religionis dogmata ad ſalutem neceſſaria palam facere. Mirũ, quantũ laboris & moleſtiæ in hac vinea colenda Andreas Fernãdius potiſſimùm exſorbuerit. Haud erat difficile, barbaris Cafribus perſuadere, Chriſti vt legem acciperent; id quidem nullo ferè negotio faciebant: ſed eniti, vt ſemel acceptam ritè ſeruarent, neve ſuos cum illa miſcerent errores, id erat egregio patri non modò difficile, verumetiam valde periculoſum. Nam cùm ad veneficia, incantationes, ſortilegia, ſuperſtitioſos iurandi modos, atque ad alia flagitia, ex priſtina conſuetudine redirent, ob idque à Fernandio

nandio reprehenderentur, præcipiti insania furentes sic in ipsum facto agmine irrebant, vt parum sæpe abfuerit, quin sagittis confossus interierit. Duo potissimùm erant mala, quæ barbaris illis sic adhæserant, vt quàm difficilimè ab iis auelli possent. Vnum ex Mahumetana & Gentilica turpitudine ortum, quo plures sibi quisque, cum quibus simul viueret, cõparabat vxores: Alterum ex antiquata Iudæorum lege deriuatum & mordicus retentum, quo frater vnus alterius fratris, absque liberis decedentis, coniugem matrimonio sibi copulabat. Cùm ergo Fernandius enixè contenderet, vt qui nomen Christo dederant, ab vtraque impietate penitus abstinerent, néve cum luce tenebras, cum Christo Belial coniungerent, eius monita & obiurgationes adeò iniquè ferebant, vt perciti furore eiusdẽ oculis & collo frameas, manusque frequenter intẽtarint, sublato etiam clamore, quo se inuicem hortabantur, vt reprehensorem suum vel ferro cæderent, vel iniecto igne simul cum domicilio absumerent. Verumtamen tantus tamque præceps barbarorum furor vi diuina coercitus innocentis vitæ pepercit, quam truculenti Regis sæuitia sanis irritata consiliis absque dubio eripuisset, nisi eius quoque conatus eadem vis diuina irritos fecisset. Sunt apud Cafres quidam, quos Sangas ipsi vel Sengos vocant; vulgò habentur sapientes; cúmque cæteros nequitia superent, & veneficiis ac superstitionibus sint impensè dediti, eos tamen, qui hisce maleficis artibus se dedunt, vt homi-

num generi valde noxios, hostiliter persequuntur. Quem verò esse veneficum declarãt, quamuis ab eo crimine longè absit, is statim & veneficus creditur, & eo nomine punitur. Huius ergo maleficij insimul à Sangis apud Regem Fernandius est; idque duabus potissimùm rationibus & ab illis probatum, & à Rege creditum. Prima, quòd id ætatis cùm esset (propter caniciem enim plusquam centesimum annum putabatur excedere,) tantam haberet animi & corporis firmitatem, ac robur, vt vi & laborum tolerantia iuuenes superaret: altera, quòd librũ manibus gestaret (id Breuiarium erat,) eiusque folia percurreret ac legeret; nam cùm typici apud illos characteres non essent, nec vlla ratio similium librorum, quid liber ille, eiusque volutatio aliud esse posset, quàm veneficium, non intelligebant: vulgata per barbaros fama, Fernandium esse veneficum, priùs fermè creditum, quàm dictum est. Quapropter non alij tantùm, sed ipsi quoque Sangi valde ipsum metuebant, vehementerque oderant, & quoad poterant, eius conspectum vitabant. Cùm verò de extirpandis atque extinguendis veneficiis Rex aliquando cum Sangis egisset, de eorum consilio statuit, vt iidem ipsi summa adhibita diligentia veneficos & veneficia tota vrbe quærerent, & tanto terrore populum liberarent. Illi comparata armatorum manu postquam alia lustrarunt loca, veniunt ad templum, vt si qua ibi veneficia sint, vno & eodem cum reliquis inclusa vase deferant ad Regem. Rei pater conscius ad ianuam

exit,

insimulatus

exit,ingredi volentes aditu intrepidè arcet,acerbè increpitat, vas de manibus eripit, in terram deiicit,pedibus conculcat.Tanta hominis libertate attoniti barbari, continent manus,nec mali quidquam inferre audent. Erant inter Sangas duo, Regis frater vnus,Reginæ alter; patris isti factum considerantes nonnihil conquesti sunt, additis etiam de futura vindicta minis.Dicebant enim grauissimam Regi iniuriam fuisse à patre illatam,quæ nisi eiusdem morte,non posset debitè expiari.Ille eadem, qua Sangis restitit constantia,his quoque respondit, paratissimum esse se ad oppetendam pro veritatis assertione ac defensione mortem, nec posse quidquam sibi feliciùs contingere,quàm vt pro sempiterna Regis atque omnium Tongensium vita temporalem ipse vitam amittat;denique nulla prorsus rerum difficultate, aut mortis metu,suo se officio defuturum.Ea est horum barbarorum fatuitas,vt credant Regem suum pro arbitratu cogere in sublime nubes, statis temporibus pluuiam segetibus dispensare, dominari ventis ac tempestatibus,mutare posse tempora,rerum vicissitudines & varietates efficere. Ex tam stulta persuasione illud oritur,vt cùm alioquin viliùs ipsum,quàm bouem,aut equum pendant,hac tamen ex parte miro colant obsequio & obseruantia.Si quando aliquos terrere velit, nihil illis minari potest terribilius, quàm si dicat effecturum se, ne suspensæ in cælo nubes soluantur in pluuias, desitque satis necessarius liquor. Rex Tongensis etiam post Baptismum gentilico more hanc fi-

ctam & inanem sibi vsurpabat potestatem, nec tumidam mentem monitus deponebat. Pati id diutiùs Fernandius non potuit: itaque oblata aliquando opportunitate, frequentissima aula in Regem inuehitur: Quid, inquit, tam superbè, ac tam impiè tibi, Rex arrogas, quod tuum non est? An nescis potentiæ esse diuinæ, non infirmitatis humanæ, præcepta ventis nubibúsque imponere? vbi nam tibi cœli claues vt illud pro libito aperias & claudas? Age verò, quãdo te pluuiæ iactas auctorem, profer in hac hominum frequentia, vel id tantùm, quod nõ est cognitu difficile, qua nam ex materia nubes constent, cur in sublime tendant, qua vi huc & illuc agantur, quòd aliquãdo in aërem, nonnunquam in aquam dissoluantur? Si isthæc, quæ minima sunt, & Philosophis non ignota, tu ipse ignoras, quid nubium, quid pluuiarum, quid tempestatum tibi imperium impudenter iuxtà & ineptè vsurpas? Agnosce communem rerum conditorem, cui in Baptismo fidem tuam iureiurando adstrinxisti. Vnus hic est omnium Dominus; cuius ditione ac numine geruntur omnia; qui humanis rebus non solùm vniuersis, verumetiam singulis consulit; qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesq; conseruat; qui hominum commoda vitasque tuetur. Hic est qui vapores è terra in sublime tollit, cogitque in nubes, quique de thesauris suis profert ventos, quibus eædem nubes huc illuc impulsæ, perque varias cœli stationes dissipatæ, atque in humorem resolutæ terram augét imbribus,

imbribus, non vno decidentibus impetu, sed guttatim defluentibus. Nũquid niuis aut grandinis officinas aliquando intrasti? Tu ne ille, qui tonitrus, qui fulgura, qui fulmina fabricas? Effice nunc si potes, vt aër repẽte cogatur in nubẽ, & hæc in aquam resoluta arentem humectet terram. Si nulla tibi ad hæc potestas, quid te pluuiarum mentiris patrem, ac miserum populum fallaciter deludis? Id saltem vel semel effice, & tuam prædicabimus potestatem, ne iacentes campi, quos cernimus, matutino madescant rore. Quòd si ne hoc quidem potes efficere, agnosce eum, cuius à nutu pendent omnia, supera, infima, media; quique arbitrio suo cuncta dispensat. Homunculum te fatere vnum de multis, qui non minùs, quàm reliqui, miseriis premeris, curis fatigaris, ęrumnis consumeris. Venerare Deũ, qui te ac totum genus hominum benignè fouet, & sustentat. His dictis, patefacta fraus, destructáque impia Regis de se & apud suos existimatio, rationis enim vi coactus non dubitauit corã fateri, nullam sibi in pluuias atque in id genus rerum esse potestatem. Magna Cafres, qui aderant, tam apertæ confessionis tenuit admiratio, statimque rei fama ab aula & vrbe egressa absentium quoque aures compleuit. Sed erat de cunctis nemo, qui & Andreæ orationem, & extortam Regis confessionem eiusdem Andreæ veneficiis non adscriberet. Aiebant maximum esse Sengum, cuius potentiæ Sengorum nullus, ne omnes quidem simul possent resistere. Rex inter omnes cùm bene grandem sibi honoris &

auctoritatis partem ademptam crederet, non occultum modò in patrem odium fouere animo cœpit, sed externis etiam signis apertè illud declarauit. Ex eo enim tempore nec facilem volebat esse Fernandio aditum ad se, nec docilem præbebat aurem diuina præcepta inculcanti, nec à gẽtiliciis superstitionibus, quamuis seuerè monitus, abstinebat. Regem cæteri imitati, angue peius patrem oderant. Vnde factum, vt toto biennio, quo illic fuit, incredibiles passus sit calamitates. Nam post Gonzali discessum, cùm Andreas Costa multis & grauibus oppressus morbis, nec vllum iis locis haberet vitæ remedium, nec operam suam laboranti Fernandio posset impẽdere, eo inibi relicto Mozambicum petiit, gratia sanitatis. Fernandius ergo omnia extrema apud Cafres expertus, tantum mortuus non est. Nullus illi erat, cum quo, aut leuamenti causa tantisper colloqui, aut sua consilia posset communicare. Multos sæpe dies nihil prorsus edebat, quod ad vitam conseruandam videretur satis; nec habebat pecuniam, qua cibos emeret, neque eos poterat precariò parare, cùm nullum beneficentiæ aut misericordiæ apud immanem illam gentem vestigium sit. Ne penitus fame periret, coactus est tenuem illam supellectilem, quæ sacris templi vsibus erat dicata, alimento permutare; iis exceptis, quæ profana fieri sine scelere nõ poterant. Ad hæc lenta quadam consumebatur febri, quæ intimis infixa medullis ad tantum languorem corpus traxerat, vt nec membris vti, nec sensibus posset. Mors itaque

que illi perpetuò ante oculos obuerſabatur, quã nihil putabat ſibi poſſe iucundius contingere, cùm ſummo arderet deſiderio vitam in tanta rerum difficultate & inopia propter Deum amittendi. Hæc vna cogitatio nonnihil eius animum tangebat, ne fortè intumatum corpus putredine ſua aërem inficeret, & aliquorum ſanitati incommodaret. Certò ſciebat, ſepulcro cariturum, ſi illic moreretur. Nam cùm Cafres à tangendis demortuorum cadaueribus adeò ſuperſtitiosè abhorreant, vt vix parentes, nec niſi admodum ſecretò, filios ſepeliant, dubitare non poterat, quin manſurus eſſet inſepultus, niſi adhuc viuens aliquod ſibi quæreret ſepulturæ remedium. Ne igitur iis mortuus noceret, quorum ſalutem tantopere viuens procurarat, hanc parandi ſibi ſepulcri iniit rationem. Lignea erat domi arca, qua pro lecto vtebatur: huius à tergo foſſam excauat, excipiendo cadaueri idoneam, vt dum Cafres, quorum eſt nimia rapacitas & cupido, poſt eius mortem ingreſſi domum ad ea deripienda, quæ crederent in arca eſſe, in aduerſam partem operculum leuarent, ſupra impoſitum cadauer ſuopte pondere in foſſam decideret, ac per eum modum ſepultũ maneret. Hoc erat Fernandi hiſce de rebus conſilium. Statuerat enim non priùs ab illis barbaris erudiendis deſiſtere, quàm eum vires vitaque deficerent. Sed illa hominem cura vehementiſſimè vrgebat, quòd cùm vulgò veneficus haberetur, nec ea opinio à Cafrum animis vllo modo auelli poſſet, nullum ex ſuis maximis laboribus

bus ſperabat, fructum ſe conſecuturum. Præterea Rex, quoniam paulò antè propter arrogatam ſibi in pluuias poteſtatem acerbè fuerat à patre obiurgatus, & propter cõtinuas obtrectatorum calumnias ita iam illum auerſabatur, vt miſerit, qui verbis ſuis nuntiaret, ſi vel momẽto temporis in Tongenſi regno vellet conſiſtere, ſciret ſibi omnino vetitum, tam Chriſti legem vlli hominum prædicare, quàm patrios Tongenſium ritus, & vſurpatas per tot ſecula tantaque omniũ approbatione cultas cæremonias vllo modo reprehendere. Quamobrem tali pater mandato accepto, adit Regem, liberè affirmat, in eas ſe regiones non ideo veniſſe, vt ebur, aut alias, quę inde auehi ſolent, merces in Indiam vel Europam exportaret; neque eſſe ſe ex eo negotiatorum genere: mercaturam exercere multò nobiliorem; cauſamque aduentus ſui, quod iam Rex ipſe debeat ſatis agnoſcere, non aliam eſſe quàm ſalutem animarum; ac proinde idcirco illuc cum ſociis veniſſe, vt viam vitæ errantibus monſtraret, vt ſparſa Euangelij luce infidelitatis tenebras diſcuteret, vt ipſos diuinis imbueret præceptis, & in Chriſti ouile adduceret. His verò ſi operibus ſibi interdicatur, nihil eſſe, quòd eo in regno vltrà permaneat; multóque eſſe ſatius, vt quod ſibi vitæ reliquum eſt, apud veteres Dei cultores, quàm apud impios deſertores tranſigat. Velle igitur in Indiam, vnde venerat, reuerti, ibi ſe dum vita erit, non ceſſaturum, ſummis Deum precibus obſecrare, vt miſericordibus oculis Tongenſe ſolum benignè deſpiciat, nec

ſinat

ſinat ſementem fidei, fauſtis in illud initiis iactã, luctuoſo fine perire. Poſt hæc à Rege Fernandius diſcedens, in Indiam profectus eſt; in quam propior mortuo, quàm viuo peruenit: ſtatimque tum ipſe per ſe, tum per alios internuntios, & cum Indico Prorege, & cum Rege Sebaſtiano de Cafrum remedio ſedulò tractauit. Ex quo tandem effectum, vt anno ſalutis humanæ M. D. LXIX. non exigua ad illas partes claſſis mitteretur, in qua Euangelici erãt ex ſocietate Ieſu prædicatores, qui vel ſopitam fidem ſuſcitarent, vel expulſam reſtituerent.



Gonzalus è Mozambico in fluuium Maſutum, inde per Quilimanem & Loabum in Senam oppidum venit.

Cap. VIII.

INterim Gonzalus paratis in Mozambico aliquot ad Monomotapę Regẽ muneribus, vltra illa, quæ à Prorege in India acceperat, & rebus cæteris ad profectionem neceſſariis, quæ omnia Pantaleo Sala arcis Sofalæ præfectus munificè & liberaliter illi donauit, quarto decimo calendas Septembres, anno à partu Virginis quingenteſimo ſexageſimo ſupra milleſimum,

cum

Pinna

cùm sex Lusitanis, Francisco Borchiardo, Frãcisco Costa, Aluaro Prima, Antonio Diazio, qui interpretem agebat, & aliis duobus, quorum ignota mihi nomina, Myoparonem conscendit, illamque Africæ oram legens, bonam eius partem secunda nauigatione transcurrit. Antequam ad fluminis Masuti ostium veniretur, tam fœda repente tempestas coorta est, vt dubium non fuerit, quin naue & nautis vndarum impetu absorptis imponendus esset nauigationi finis, nisi Gonzali preces obstitissent. Protinus enim editiorem ascendit Myoparonis locum, ibique sublatis in cælum cum clamore manibus, Domine, inquit, salua nos, perimus. Ad hanc vocem venti confestim ponunt, euanescunt nubes, inclarescit aër, compressis fluctibus sedatur mare. Nec multò pòst ipso S. Hieronymi festo die fluminis ostium superant, factaque descensi one plicatilem in littore excitant aram, in qua rem diuinam Gonzalus facit. Tanta tunc erat in cælo, vt memorãt, Solis vis, tam vehemens in Sole ardor, vt & Lusitani terræ calorem ferre calceati non possent; & Gonzalo inter sacrificandum toto ex capite pustulæ eruperint, quas tamen ipse naturæ reliquit curandas, cùm medicamenta non deessent. Tertio post die ad amnem Quilimanem, ex Cuama profluentem, vela faciunt, eóque haud facili cursu vehuntur. Est in interiori Æthiopia latè patens lacus, trecenta longus milliaria. Tres ab eo exeunt celeberrimi totius Africæ fluuij, Nilus, Zaires, Cuama. Nilus in mare internum; Cuama aduerso cursu septem

& octo

& octo ostiis in externum influit. Ex his ostiis duo cæteris grandiora, alterum, cui Loabus nomen, ad australem plagam gradus septem cum dimidio ab æquatore distat: ab Euronoto versus aquilonem excurrit, & ingentem aquarum copiam immittit in mare. Alterum Quilimanes est, de quo loquimur. Hoc magis in Septentrionem flectit, primumque à Mozambico in Europam nauigantibus occurrit. Cedit Loabo aquarum multitudine, à quo triginta leucis disiungitur; nec potest, nisi sex tantùm anni mensibus, nauigari. In ista duo vario flexu ac reflexu cætera influunt refluuntq; Cuamæ brachia. Totum ferè terrenum, quod hoc flumine alluitur, campestre est. Gens locis variis nonnihil diuersa, magna ex parte deformis visu, & cultu horrida; Nonnulli rubram cretã, ficulneo quodam oleo, & aliis ingratis medicamentis coagmentatam, incrustant capiti, lima dentes expoliunt; labrúmque inferius perforant, æreoque aut stanneo frusto foramen opplent. Quoad religionem & mores, magis sunt belluis, quàm hominibus similes. Nullum agnoscunt numen, nulla inter ipsos iustitia, nulla fides, nullum flagitiis supplicium: nulla ferè virtus ex iis, quæ in generis humanæ Societate cernuntur. Pudori enim, probitati, integritati, bonis artibus nullus est locus, suis tantùm student commodis; & si quid esse putant è re sua, id nisi aliter possint, per vim & insidias sibi vindicant. Denique vna tantùm corporis figura differre à bestiis videntur; adeò rationis lumen deprauati mores extinguunt.

tinguunt. Sunt in Quilimane flumine animalium genera complura, hisce nostris locis ignota. In his Hippopotamus ab Indico valde diuersus: fœdum animal, & nimium deforme: caput illi figura asturconi simile, magnitudine tam enormi, vt aperto ore iustæ homo staturæ vtramque inter malam stare rectus possit: media in fronte stellam habet: cauda eidem perexigua, & quæ vix cauda sit: crura breuissima; breuissimi item pedes, & in stellam desinentes; parte quippe extrema anserinis similes, ad natandum aptis: dies agit in aqua, noctes in terra: communis illi cibus herba est: hanc per campos, & prata noctu quærens hinnitibus implet auras: cùm satur ad flumen regreditur, tanta fertur vi & celeritate, vt oppositas etiam arbores perrumpat, ac secum rapiat. Crocodilum etiam hic amnis gignit, non illi absimilem, quem Nilus habet. Præter pleraque eorum, quæ de Niliaco scribuntur, hæc in isto ampliùs obseruata: crustis tegitur grandibus ac duris, vt singulę singulos veluti æneos thoraces efficiant: nullum adhuc illis in locis repertum est venenum eius epate efficacius: ceruorum frequenter ac bubalorum victitat carnibus: per insidias hæc animalia capit, dum mali ignara, potus causa, ad fluuium contendunt: hæc verò capiendi ratio illi est: latet sub aqua occulto in loco ripæ vicino: cùm ceruus, aut bubalus accedit, osque admouet liquori, magno impetu irruit, tenaciter apprehendit, in fluuium trahit, inibi comedit. Paulò antequam Franciscus Barretus in Monomotapam

motapam

motapam miſſus,ad ea loca veniret, res accidit hoc in genere mirabilis. Inſequebatur leo fugientem bubalum,hic vt erat ex curſu defeſſus, relicto à tergo leone, ad fluminis ripam bibiturus accedit: cùm bibere incipit, ecce tibi ex inſidiis irruens Crocodilus, apprehenſo bubali roſtro, trahere illum in profluentem conatur: reſiſtit conſtanter bubalus, pedibus terra nixus: magna vtrinque certatur vi; ſed dum implicatæ beſtiæ pugnam producunt, iſta trahendo, illa reſiſtendo,aduenit leo bubali odore pellectus, eiuſque in armum vngues iniiciens, vtramque inter ſe colligatam belluam tanto impetu extrahit,& in terram proiicit, vt ex iactu rupta & aperta crocodilo aluus ſit. Enauigato igitur Quilimane,Giloam,regiam vrbem,ventum eſt. Ibi Gonzalus cum ſociis è Myoparone egreſſus ad Mingoaxamem Regem, vno tantùm nomine Mahumetanum, cætera Ethnicum, ſed Luſitanorum amicum, tantiſper diuertit. Hoſpites Rex qua potuit benignitate, & liberalitate excepit. De re Chriſtiana cum eo Gonzalus ſermones contulit,quos libenter audiuit, ſignificans fore ſibi gratiſſimũ,cœleſtis doctrinæ apud ſe,atque in ſuo regno habere ſeminatores, conceſſa etiam ampliſſima Euangelij promulgandi facultate.Cùm Gonzalus ad Monomotapę Regem properaret, atque illum imprimis cuperet Chriſto adiungere, quòd in aliis poſtea regibus ad religionem conuertendis nihil ferè eſſet negotij, nec diutius cùm Mingoaxame fuit, nec vſus eſt prædicandæ fidei poteſtate. Relicto igi-

H tur

tur cum bona venia Rege, ad Loabũ, triginta à Sofala distantem leucis, se confert. Atque hîc noua rursum exoritur tempestas, cuius causa tutum in sinum, cui Lindes nomen, sese Myoparo recipit. Tredecim ibi consumpti dies, quoad sedata tempestas nauigandi fecit potestatem. Per id tempus eumdem in locum delatus ab Mozãbico Pangaius, Myoparonem aliquantulum comitatur; sed non ita pòst ab eo recedẽs, procellæ impetu abreptus, fluctibus obruitur: ipse autem Myoparo saluis rebus rectà in Cuamam contendit. Ad ipsum fluminis aditum propitiato priùs per sacrificium numine, his Gonzalus verbis Lusitanos alloquitur: Quandoquidem, Deo duce, Monomotapæ fines ingredimur, velim, socij, in mentem paulisper reuocetis, quamobrem India relicta, ad has Barbarorum Æthiopum regiones per tot incommoda & vitæ pericula delati simus. Non ignoratis, quanti hoc nostrum negotium momenti sit. Neque enim aurum, aut argentum, aut pretiosos lapides, aut quæ hisce rebus siue superiora, siue inferiora in hoc genere sunt, quærimus. Merces istæ fallaces sunt, & fucosæ: mercaturam facimus lõgè sublimiorem; nec lucrari nobis, sed Deo volumus: eius enim nos causa Goâ eduxit, eius benignitas ex tot ac tantis morborum ac tempestatum discriminibus ereptos hunc in locum adduxit; eius clementia legationem istam ad optatum exitum perducet. Vt ergo postrema primis respondeant, maiori quàm antea, contentione orandus nobis est, vt præsenti auxilio conatus nostros

nostros corroboret,ne irriti & inanes sint.Mihi certè precationi impensiùs incumbere animus est.Æqui boníque consulite, si ob hanc causam, reliquo nauigationis tempore, à conspectu vestro, consuetudinéque semouear, & cum summo illo Rege,cuius in manu regum cæterorum corda sunt, de Monomotapæ Regis regníque salute secretiùs agam. His dictis,in parte Myoparonis puppi viciniore velum sibi iussit prætendi, ibi octo integros dies inclusus ab omni humano consortio penitus abstinuit. Toto hoc tempore nihil aliud,nisi haustum aquæ, & tantùm ciceris tosti, quantùm capi pugno potest, semel dumtaxat in die degustabat. Ad preces, quas mente & voce interdiu noctúque assiduè fundebat,lectionem addebat rerũ earum, quas heroici homines, adiutore Deo, strenuè patrarunt,vt ipsorum exemplo,ad subeundas forti & alacri animo susceptæ prouinciæ difficultates sese excitaret.Octauo die ventum est in conspectum Senæ, oppidi eo terrarum loco celebris, vbi futura erat nauigationis meta. Monitus ea de re Gonzalus, antequam è cubiculo exiret, genua continuò flectit, oculósque ac mentem in cœlum attollens, ita sibi propitium precatur numen, ác si atrox & periculosum prælium sit initurus:à sociis etiam petit, vt& orationẽ Dominicam,atque angelicam salutationem singuli recitent, & Deiparam Virginem, quàm possunt ardenter, obtestentur, vt Monomotapæ Regis,ac totius Cafrariæ patrocinium dignetur suscipere;se quidem adeò non solùm intrepidè,

verùm etiam hilarè negotium aggredi, nihil vt omnino periculi timeat; quin potiùs iamiam in illo esse omnibus votis percupiat. Scilicet Gonzali animus hic erat; nullis vnquam frangebatur laboribus, nullis succumbebat difficultatibus; mediis in periculis sic perstabat impauidus & constans, vt maiora semper expectare optaréque discrimina videretur. Ex quo factum, vt ab insigni quodam & magnæ auctoritatis viro aptè & verè dictum sit, Gonzalum esse sanctum Gladio & Clypeo apprimè munitũ,& ad omne certamen promptum;quo apophthegmate, ex vulgari Lusitanorum loquendi vsu, significare voluit, summam hominis esse virtutem & constantiam, cùm à rebus iis, quæ ad diuinum honorem,aut hominum salutem pertinerent, vel aggrediendis vel perficiẽdis nullo prorsus mortis metu deterreretur. Antonium Quadrium maximi virum iudicij,cui tum in Lusitania,tum in India, intima semper cum Gonzalo familiaritas fuit, vt hanc eius magnanimitatem declararet, dixisse ferunt, eiusmodi Gonzalum esse, vt si quis suo illo tempore deligi deberet,quem Anti-Christo aduersarium Deus apponeret,neminem sibi eodem Gonzalo aptiorem videri.

Quid

Quid Senæ egerit, dum ibi fuit.

CAP. IX.

MARITIMO itinere cõfectoGõzalus cũ sociis Senam ingreditur. Oppidum est, vt dixi, illis in locis celebre & frequens: magna ex parte ingentem latet intra syluam: ædificia habet ex culmo: fluuius ibi, passus circiter mille & quingentos latus ❧: nauigari vlterius, versus ortum potest, maioribus nauigiis; tempore etiã æstiuo ad ducenta ferè milliaria: eius aqua gustui suauis, sed insalubris. Vbi Gonzalus pedem in terra posuit, ipsum statim Regem ducentas ab Sena leucas, in vrbe regia, distantem per destinatum nuntium de suo aduentu certiorem fecit. Misit item ad vicum nomine Tetem, qui habitantem ibi Gomesium] Coellium Lusitanum, Monomotapæ Regi carum, & Cafrum lingua peritum, suis verbis salutaret, peterétque ad se venire ne grauaretur: quod Gomesius libentissimè præstitit. Interim dum Pater responsum expectat, quatuor circiter, transcursi menses, quos procurandæ animarum saluti magna caritate impendit. Erant ex Lusitanis aliquot, qui domicilium Senæ fixerant: erant alij ex India, qui lustrali aqua non ita pridem fuerant abluti. Vtrumque genus necessaria destitutum doctrina vix ab Ethnicis viuendi ratione differebat. Hos igitur salutaribus instituit præceptis; à sce-

 leribus

leribus abstraxit, à pellicatu ad legitimas nuptias traduxit, confessionis Sacramento expiauit; diuino pabulo refecit: ex Lusitanorum quoque mancipiis ad quingenta ferè capita sacro Baptismate abstersit: præterea Inhamioris Regulum, tribus à Sena milliaribus remotum aliquoties adiit, eique atque eius familiæ ita religionis nostræ mysteria exposuit, vt statim Rex ipse, Regina, & octo vtriusque liberi Baptismum suscipere peroptarint: plurimis tamen de causis rem Gonzalus distulit: ea potissima fuit, quòd neminem secum haberet è Societate, quem loco suo relinqueret, vt eos qui Christo essent adiuncti, & Christianis præceptionibus meliùs imbueret, & in suscepta fide conseruaret. Illud etiam causæ accessit, quod iure optimo timere poterat, ne Monomotapæ Rex minùs æquè ferret suum sibi beneficiarium anteponi, illique priùs, quàm sibi Christiana sacra impertiri. Laudato igitur Reguli cōsilio, ipsum consolatus est, & seriò hortatus, vt ab proposito ne discederet; vbi Monomotapæ, Imperator sacra vnda esset lustratus, tum verò lustrari se opportunè posse; daret insuper operam, vt subditis suis cognitam à se veritatis viam demonstraret. Præterea destinatis Gonzalus horis in locum secedebat ab hominum frequentia remotum; ibi sub arboris vmbra considens, longos cum Deo trahebat sermones. Visus etiam nonnunquam est, pomum colore quidem aureum & pulchrum aspectu, sed gustui peracerbum, & odore tetrum, quadam ex arbore decerpere, tantoque volu-

ptatis

ptatis ſenſu ſe illo cibare, ac ſi nihil edere poſſet iucundius. Quinetiam rogatus, quî poſſet rem tam acerbam ore contingere, reſpondit, ſi ratio ſaporis habeatur, nullum inter illud pomum & Olyſipponenſe perſicum apud ſe diſcrimen eſſe: inſuauibus quippe & amaris cibis ita guſtatus ſenſum caſtigarat, vt diſcernere ſapores non poſſet. Inter hæc legatus aduenit à Rege Monomotapæ miſſus, qui Gonzalum illuc perducat. Ille accepto nuntio aram lapideam, calicem, & reliquum Miſſæ paratum in ſarcinam colligans, humeriſque imponens, aſperum ac difficile iter, ſexcenta continens paſſuum millia, ingreſſus pedibus eſt. Multa in eo itinere flumina ſunt: vado quædam, alia nando trãſiri oportebat: in tranſitu magna erat Gonzalo cura, ne ſarcina madefieret: cùm igitur amnem traiicebat vado, vel ſublatam manibus, vel ſi aqua collum pertingeret, impoſitam capiti portabat: cùm verò propter fluminis altitudinem nare opus erat, tum quidem vaſe fictili, ad eum vſum comparato, ſarcinam recipiebat, idque verſo in altum orificio, ne ingredi aqua poſſet, à Cafribus adiutus in alteram partem nando traducebat. Nonnullis amnibus ſuperatis ad vicum Tetem, vbi Coelliũ diximus habitare, peruenit Aliquot ibi dies cõmoratus, re diuina aliiſque religionis myſteriis peractis, Luſitanos incolas recreauit, & Fumũ cũ filia Chriſtiano gregi adiũxit. Fumi veluti oppidorum gubernatores ſunt; locum habent à Rege ſecundum; magna proinde eorum eſt apud eos gentes dignitas, & auctoritas. Nemo,

qui alio ex loco veniat, poteſt vllo cum Fumo per ſe loqui:ſuum priùs negotium alteri exponit: is deinde alteri; poſtque alios atque alios, ad Fumum tandem res peruenit: eius in conſpectu nemo aliter eſt, quàm curuatis innixus poplitibus venerantis more. Solus ipſe ſedet: tripodis figuram ſella refert, Quite dicitur:ſi quis ipſum coràm alloqui debeat, magno priùs cum ſtrepitu palmas quatiat, & alias generis eiuſdem cæremonias præmittat opus eſt. Fumi dignitas apud hos barbaros non parum honoris, ſed vtilitatis nihil omnino habet: non hæreditate, ſed electione acquiritur: vix vllus eſt, qui non inuitus eligatur; non enim, qui virtute aut prudentia, ſed qui opibus præſtat, is plerumque eligitur, qui vbi res ſuas conſumpſit, nec in aliorum vſus conferre quidquã amplius poteſt, tum demum ab iis contemptus de gradu deiicitur. Egreſſus ex hoc loco Gonzalus, quod erat viæ reliquũ, confirmato ac renouato animo ſuſcepit. Cafres, qui erant in comitatu, conſumptis paulo pòſt cibis, quos parauerant, premi fame cœpere. Id vbi à Gonzalo cognitum, quæcunque ad alendum ſe aſportabat, benignè illis, & liberaliter diſtribuit; Iangamis ipſe (pomi genus eſt) immaturis & acerbis victitabat; eas tamen ſaporis aiebat eſſe iucundiſſimi. Nec verò negata in ea re à ſociis fide; ſed res miraculo tributa. Compertum enim ab ipſis, iangamas illas, quas pater manu tetigiſſet, quanuis alioquin & natura immites, guſtuique inſuaues, & maturitatem nondum eſſent conſecutæ, ipſo Gonzali tactu reddi ſuauiſſimas.

Interea ventum ad oppidum, cui Mabate nomen. Cognito hic Gonzali aduentu, occurrunt turmatim oppidani tectis effusi, nouumque hospitem insolitis officiis exceptum, pro sua quisque facultate hospitio inuitant. Gratiam multò officiis maiorem illis Gōzalus retulit. Paululum enim inibi commoratus, Baptismum omnibus & Christiana sacra impertiit; discedensq; prædixit, nunquam in eo oppido religionem Christi de futuram. Fidem euentus vaticinio fecit; posteri enim, quāquam necessario destituti doctrinæ pabulo, in suscepta tamen à maioribus veritate hodieque firmi perstant; cumque aliquis illâc Lusitanus trāsit, si quos habēt infantes, nondum sacra perfusos vnda, certatim offerunt abluendos. Continuato dein itinere, perueniunt Bambam; vicus est parum à Monomotapa dissitus. Cafrem in eo Gonzalus reperit morti propinquum, quem vt vidit, Non sinamus, inquit, hominem hunc sine Baptismo decedere. Propiùs igitur accedens fidei mysteria breuiter ægro exponit, rogat, velit ne salutari aqua lustrari, annuentem lustrat, Ludouici nomen indit. Manibus inde infirmo corpori impositis, quædam recitat ex Euangelio verba; quibus absolutis mox è lecto Cafer surgit, & in signum recuperatæ sanitatis cibum petit, corpusque reficit, vtriusque sibi salutis diuino beneficio collatæ Gonzalo debitor. Post multos tandem, variosque asperrimi itineris labores sub natiuitatis Christi peruigilium Chetuchim, pagum Monomotapæ vrbi vicinum, cum sociis venit. Re diuina ter ibi ex

ecclesiastico ritu, ipso natali Christi die, celebrata, ad vrbem contendit, eamque die postero, qui protomartyri Stephano sacer est, summa cum animi voluptate ingreditur.



Regis Monomotapæ potentia, gubernandi ratio, gentis mores, & huiusmodi alia.

Cap. X.

Monomotapa regiæ vrbis nomen est, ab ea in totã regionem deriuatum, cuiusmodi in orbe multa; in Italia Neapolis; in Hispania, Toletum, Carpentanorum; Legio; Valentia; & alia diuersis locis cõplura. De Monomotapę regione nihil omnino veteres, aut geographi, aut historici scripsere. Ptolemæi enim tabulas ab oriente terminauit Prasum promontoriũ, quod nunc Mozambicum est; ab occidente Hippodramus, quod alterum est promontorium, proximum illi Africæ monti, quem Lusitani inuentores, serram lioam, hoc est, montem Leænam vocauere; & quidem harum rerum periti illum esse credunt, quem Deorum rhedam, antiqui Græci dixere. Hæc, de qua nunc agimus, Æthiopia tribus clauditur lateribus. Primum à monte Leæna secundùm oram maritimam ad bonæ spei promontorium excurrit. Inde secundum

vsque

vſque ad promontorium Praſum, ſeu Mozambicum. Tertium rurſus à Praſo per interiores terræ partes ad Leęnam vſque protenditur. Ex quo planè manifeſtum eſt, nouam hanc Æthiopiam ad nullam pertinere earum quatuor, de quibus in antiquis literarum monumentis memoria reperitur. Namque ab illis omnibus longè differt: ab Aſiatica inprimis, quam Madianiticam terram ſacra volumina appellant: deinde ab ea, quæ eſt ſupra Ægyptum, & Abaſſinos continet: tum ab interiori Æthiopia, quæ magna ex parte Zamzibar eſt: denique ab illa, quam in interiori Libya Heſperij Æthiopes incolunt. Quatuor igitur Æthiopiis, veteri ſeculo à Græcis vel Latinis ſcriptoribus cognitis, addēda quinta eſt, ab Luſitanis inuenta; ad cuius Occidentem plagam regna ſunt Congi, Angolæ, & alia ad Guineam pertinentia: ad Orientem vaſtiſſima hæc Monomotapæ regio, ſeptingentis, vel vt alij malunt, octingentis in orbem contenta leucis, longè latéque porrigitur. Eius Imperatori præter populos Mongazes, qui regibus carent, & Fumos habēt rectores, multi alij circùm populi ac reges beneficiario iure tributa pendunt. Pendebat etiam olim Sofalæ Rex, ſed poſt Luſitanorum aduentum ab eo onere exemptus. Plurimum autem valet opibus & copiis, facilique delectu centum hominum millia ad pugnandum exponit. Habet in ſui cuſtodiam electa de gente triginta Cafrum millia. Hi regiam circum vrbem per vicos diſpoſiti, & in omnem euentum prompti atque expediti. Mocomoegi parent, id no-

ſmen

men officij est, alij Zonum vocant, quod sonat Regni portis præfectum; quasi ad regni aditus semper excubet, ne quid aduersi ingrediatur. Quo tempore Monomotapam Gonzalus subiit, penes Antonium Caiadum Lusitanum hominem, Regi carissimum, hoc munus erat. Vexilla, quibus est in exercitu vsus, non ex serico, aut lino, vllove panni genere confecta, & figuris depicta, vt apud nos; hastilia sunt, summo in culmine affixas habentia diuersas animalium formas, opere cælato. Nam vt veteres Romani aquilam, Carthaginienses Draconem, & aliæ olim nationes alias ferebant animantes; ita singuli Cafrum duces propria habent cælati generis insignia, Elephãtum hic, bouem ille, alius leonem, crocodilum alius; hiique ex signis & nominantur in bello, & inuicem distinguuntur. Vita militaris communis omnibus, & inprimis grata. Ab insidiis, & cæteris belli stratagematis valde abhorrent. In congressibus campo vtuntur aperto, & primam plerumque lucem opperiuntur. Hostium enim castra noctu aggredi, ignominiosum putant. Arma habent, non quibus corpora ab ictu tutentur, sed tantùm quibus lædant hostes. Armorum verò quatuor illis genera, quibus non singuli singulis, sed singuli omnibus instructi, ad bellum procedunt; arcum inprimis vnusquisque fert, & pharetram cum sagittis: deinde frameas, & missilia quædam, quæ iaculari facilè possit: tum accinctum ad femur gladium lignea inclusum vagina: postremò sudem egregiè dolatam, & ad feriendum peraccomodam, quam

quã,cùm decertat, vltimò expedit, si opus est. Regio partim suopte ingenio, partim habitantium inertia,magna ex parte frugum parca. Atque inde fit, vt quamuis Cafres nihil ferè ad esum reputent inutile, omnique vesci immunditia sint assueti,ob commeatus tamen inopiam duos aut tres dies eodem in loco sub armis vix esse possint;sed alias subinde atque alias quærere sedes oporteat, in quibus aliquid habeant, quo ali queant.Quocunque verò accedunt, nihil omnino ibi, non terrestria & fœda animalcula, non herbas, non ipsa arborum folia relinquunt; hocustarum more quidquid viride siue in planta, siue in solo reperiunt, summa auiditate vorant. Oblongo,& malè texto gossipio atque in modum crucis ad pectus conformato ita se tegunt, vt plerasque corporis partes relinquant nudas.Vxores emunt, & quò quisque ditior,eò plures habet;iisque in agris colendis, cæterísque in rebus, tanquam mancipiis vtuntur.Quæ circa ignorationem numinis, animorum interitum, contemptum virtutum,aliáque generis eiusdem de Tongensibus diximus, ea omnia cum istis sunt communia. Tantùm nasci hominem & mori norunt, id quod vident, quem in finem nascatur, quô animus post mortem tendat, quibus in hac vita operibus debeat exerceri,prorsus ignorant. Gallinam & arietem habent inter esculenta; vtrumque animal integrum ac sine veru imponunt igni, & torrent,tostúmque edunt, nulla parte detracta, sed cinere tantummodo excusso. Vinum bibunt

expressum

expressum è milio, & alio legumine hîc ignoto. Nachenim vocant, figura & quantitate sinapis grano haud multum absimile. Vix potest quidquã his Cafibrus concipi magis rude & incultum. Nullam per tot secula, neque ipsi per se artem inuenere, neque ab aliis inuentam accepere. Eadem semper apud illos indumenta, iidẽ cibi, & eodem modo parati; eadem construendi ex culmo tuguria & casas ratio, iidem denique mores atque eadẽ fœda & inueterata barbaries. Mirum in modum inuidi sunt. Si quis fortè, quia maiorem vel in colenda terra, vel in pascẽdo grege adhibuit diligentiam, plus cæteris aut fructuum colligit, aut pecoris habet, in summã aliorum incurrit inuidiam. Aiunt enim illud veneficio, non industriæ tribuendum. Aliquando meliore aliorum sorte adeò offenduntur, vt conspiratione facta ipsos trucident. Hoc verò vt faciant non aliud opus, nisi vt ipsis veniat in mẽtem. Vix de futuro cogitant, & à formicis ferè superantur, quæ in hyemem pabulum æstate prouident. Si quid isti habent, totum id statim consumunt, & ipsi postea fame consumuntur. Boues habent & bubalos, sed ob inertiam otiosos esse sinunt. Cùm annis superioribus Franciscus Barretus conductis Senam plaustris boues iussit imponi, vt ædificandæ arci cœmenta importaret; cúmque Lusitanorum alij boum, bubalorúmque ministerio terrã aratro proscinderent, adeò visa res Cafribus noua, vt magnus eorum ad spectandum factus sit concursus, magnáque ipsos tenuerit admiratio. Quinetiam obseruatum

uatum à noſtris eſt, ſic illud inuentum fuiſſe ab iis barbaris exceptum, vt inconditis corporis geſtibus, riſu, cachinnis ſignificarint rem eſſe à cõmuni hominum ſenſu alienam. Ipſi ferramento breui verſant terram, móxque in foſſulas demittunt ſementem, & ruſum terra contegunt. Negant experti meſſem fore abundantiorem, ſi altiùs ſemina iaciantur. Hæc illis ratio, quòd nimis aridum terrenum ſit, & pluuiæ in partibus ab ora maritima remotis adeò raræ ac modicæ, vt alere augereque fruges non ſufficiant: rores contrà ſerena nocte aſſidui & copioſi; qui tamen intimam in terram non penetrant, ideóque ſuppeditare nequeunt alimentum primis ſegetum radicibus, ſi ab extima ſoli ſuperficie longè abſint. Vt igitur cæleſti humore ſemina nutriantur, eo loco ſint oportet, quo penetrare roris liquor poſſit. Volucrum & ferarum ingens copia. Vix à noſtris differunt quadrupedia. In volatilibus differentia non modica. Elephanti hîc numero & magnitudine quoſuis alios ſuperant. Propter carnes & ebur multa eorum millia annis ſingulis in viarum anguſtiis intercepta à venatoribus occiduntur. Saltus ac ſyluæ tigribus abundant & leonib. Hi nulla re Indicis abſimiles; illi feritate & velocitate cedũt Malacẽſibus. Tota ferè regio auri & argẽti feraciſſima eſt. Multo vtriuſque metalli maior prope Bocuttũ & Moſapam copia. Hęc emporia ſunt, nõ lõgè à Mazano flumine, quorũ illud quadraginta aut quinquaginta leucis à Tete vico, de quo ſuprà dixi, diſſitũ eſt. In immenſam vaſtitatem mons propè excur-

rit

rit nomine Fura, in quo ferunt veterem illam Sabæ reginam, quæ ad explorandam Salomonis sapientiam à finibus terræ Hierosolymam profecta est, camelos auro onerasse. Constat tã longè latéque diffundi terram, in qua aurifodinæ sunt, ut leucas amplius ducentas quinquaginta contineat longitudinis, & vastissimum latitudinis spatium. Tanta autem naturæ vi illis in locis hoc metallum erumpit, vt fidem superet. Nã in ipsa terræ superficie plura auri frusta reperta, quorum quædam quattuor, alia plura, alia pauciora aureorum nummûm millia pependere. Deprehensæ quoque intra ipsos arborum truncos auri venæ, ex attracto ab ramis humore inibi ortæ. Lapidicinæ præterea pars quædam non admodum magna, à Fura monte excisa quadringenta aureorum millia breui, exiguóque labore fudit. Argenti fodinæ, quas Achicona appellant incolæ, plurimæ etiam & maximæ, aurifodinis conterminæ, perque Zambazam fluuium, æquo ac plano solo longissimè porriguntur. Duo dicuntur esse Monomotapæ Imperatoris insignia; vnum pala est cum eburneo manubrio, quam instar ensis ad latus accinctã gestat, vt agriculturã subditis commendet, veluti rem humanæ vitæ maximè necessariam: alterum duæ frameæ sunt, quibus se & malorum vltorem, & defensorem bonorum profitetur. Ignem renouat annis singulis, quem regno toto distributum iri vult. Eius rei administri sunt magnates, quibus distribuendi cura commissa. Hos adeunt, qui nouum ignẽ quærunt. Siquis verò quærere negligat, læsæ maiestatis

iestatis reus efficitur. Cùm Rex bibit, tussit, sternuit, qui adsunt, ingenti clamore concepta proferunt verba, quibus ipsi bene precantur; idē præstant, qui foris sunt; auditis prioribus sequūtur reliqui tota in vrbe, in qua immensa quædam totius populi summo cum strepitu attollitur acclamatio, & bibisse Rex, aut tussisse, aut sternuisse ea significatione cognoscitur. Flectere aiunt genua, qui quidquam ipsi ministrant. Generatim omnibus vetitum, eius interius cubiculum ingredi, nisi vel sit Rex, vel ex regiis aliquis. Aliquantulum distare oportet cæteros, qui cum eo colloquuntur. Nec quisquā prorsus, quacunque excellat dignitate, ad alloquendum accedit, quin sibi priùs calceos detrahat, si calceatus sit. Hæc regionis natura; hi regis & gentis mores.



Monomotapæ Regem, Reginam, Regis matrem, & alios regni primores Gonzalus baptizat.

CAP. XI.

VBI Gonzalus Monomotapæ vrbem tetigit, eiusque aduentus Rex certior factus est, cùm iam antea ex Lusitanis mercatoribus ibi commorantibus de illius sanctimonia & nobilitate multa audiisset; confestim misit, qui verbis eum amicis, donisque liberaliter exciperet.

Legatū egit Antonius Caiadus. Is Regis nomine patrem salutauit,& ingens auri pondus, boues permultos, nonnullosque ad quotidiana ministeria famulos obtulit. Gonzalus per eundem Caiadum debitas Regi gratias agens, munera hisce cum verbis intacta remisit. Quodnam genus auri, quasve huc diuitias quæsitum venerim,Rex potentissime,ex ipso,quem ad me misisti, Antonio facilè intelliges. Neque enim ego aliud præter te & tuos quæro. Harum mè opum amor à patrio solo abductum in istas egit regiones: quod me narrante paulò pòst meliùs agnosces. In magnam Rex admirationem adductus,vix credere poterat, hominem esse, qui aurum, qui boues, quos ipsi Cafres plurimi faciunt, qui famulatum respueret. Cùm igitur ad illum Gonzalus adiit, incredibili amoris æquè & honoris significatione exceptus est. Ad interius enim cubiculum introiit,quô ne stipendiarij quidem reges,vt diximus, cùm ad Imperatorem ventitant, admitti solent. Calceos non exuit.cùm cæteri comites, etiam Lusitani, nudis adessent pedibus. Ad alterumRegis latus(alterum Regina mater tenebat) operto capite, & in Quite,hoc est,tripode,stragula veste bellè instrato,Regi pæne æqualis insedit, relicto ad ostium cubiculi Caiado, regni portis præfecto, qui interpretē agebat. Dicta igitur primū salute, allata ex India & Mozābico munera Regi Gōzalus offert. Ea ille læto iuxtà & libeti animo accipit; atque vt parē referat gratiā, Patrem rogat, quot velit fœminas, quot prædia, quot boues,

quantum

quantum auri; omnia, quæ optet, libentiſſimè ſe daturum. Reſpondet Gonzalus, nihil ſe præter ipſum Regem velle, ſicuti per Antonium priùs nũtiarat: omnia enim tam corporis, quàm fortunæ bona, aliis commutaſſe bonis longè præſtantioribus, quorum ipſum cupiat efficere participem; aurum, prædia, boues, & huiuſmodi alia, multóque magis cupiditatum lenocinia non ſolùm boni nomine eſſe indigna, ſed planè ſordida, & contemnenda. His Rex auditis, ad interpretem conuerſus, Fieri, inquit, Antoni, non poteſt, vt qui iſta, quæ tanto homines ſtudio cupiunt, & quærunt, nihili pendit, ex eodem ſit, quo reliqui, genere; ex herbis natum eſſe, opus eſt. Tunc iterum peramanter Patrem intuens, & quidquid velit, daturum ſe pollicens, benignis verbis in hoſpitium mittit. Ductus in ædiculam eſt, tugurio ſimilem, in qua diebus ſingulis plicatilem ad ſacrificãdum erigebat aram. Dum ibi die quadam rem diuinam facit, quidam de primoribus fortè præterit, obſeruat quid agatur, Deiparæ Virginis imaginem eleganter depictam & in ara poſitam conſpicit; veram fœminam reputans, nuntiat Regi, eximiæ pulchritudinis mulierem apud Gonzalum eſſe, iubeat illam ad ſe duci. Rex videndi deſiderio commotus, actutum mittit, qui Gonzalo dicat, renunciatum ſibi, illum ſecum vxorem duxiſſe ſuam, cupere ſe eam videre, det operam, vt ipſum voti compotem efficiat. Regis nuntium, vt de cœlo delapſum pater excipit, ſanctiſſimæque Virgini refert acceptum, quòd talis ſibi ipſius virginitatis

& partus mysteria euulgandi, oblata occasio sit. Veste igitur pretiosa tabulã inuoluit, & ad Regem defert. Sed antequam videndam proponat, altiùs aliquanto exordiens, de beatissima Virgine, deque eius diuina sobole non pauca præfatur. Vnum ait esse in mundo Deum, terræ ac cœli Dominum, rerumque omnium effectorem, qui vt vindicaret mortales à sempiterno exitio, in quod sceleribus suis præcipitabant, fieri homo voluerit, assumpta in vtero intemeratæ Virginis humana carne, qua & diuinitatem tegeret suam, & miserias pateretur nostras. Eius matris, quæ neque in conceptu, neque in partu virginitatem amiserit, quippe quæ neque ex viro vllo conceperit, neque aliarum mulierum more pepererit, illam esse effigiem, quã ante oculos ipsi proponit, & summa cum veneratione conspicere necesse sit. Tum caput Gonzalus aperiens, & vtrumque flectens genu, operimentum detrahit, imaginem Regi ostendit, ad eamque venerandam his verbis hortatur; Ne dubita, Rex, submissim colere effigiem illius quam Regis regum matrem, suamque Reginam cælites ipsi agnoscunt, & reuerenter fideliterque suspiciunt. Hoc simulacrum Deiparæ est, qua præside atque adiutrice inferorum hostium conatus, impetusque contundimus; cuius etiam patrocinio innumerabilia à Deo beneficia obtinemus. Dei ergo parentem, & rerum dominam pio animo venerare. Visam Rex imaginem officiosè in primis colit, & obseruat; eius deinde pulchritudine captus, etiam atque etiam Gonzalum

zalum rogat, illam vt apud ſe eſſe ſinat; eius enim ſe conſpectu mirificè recreari. Annuit pater Regis votis, & ipſe per ſe ex pretioſo peripetaſmate in eodem Regis cubiculo quoddam quaſi ſacellum inſtruit, inibique illam quàm decentiſſimè reponit. Luſitani, qui in ea tunc vrbe erant, in Indiam reuerſi, memoriæ prodiderũt, ſanctiſſimam Virginẽ ſub eadem, qua depicta erat forma, mirabili circunfuſam luce, quater aut quinquies dormienti Regi adſtitiſſe, & incognita lingua cum eo fuiſſe locutam: quod ille manè euigilans, & matri ſuæ, & Luſitanis familiaribus ſumma cum admiratione narrabat. Tandem Gonzalum, ad quem Luſitani rem totam, vt à Rege audierant, deferebant, vocat ad ſe, & viſa exponit, additque ſe magnopere animo cruciari, quòd ſibi comparentis loquentiſque Reginæ verba intelligere non poſſit. Cui Gonzalus, Illa, inquit, lingua diuina eſt, intelligi à nullo poteſt, qui Chriſtianis ſacris imbutus non ſit, quique ipſius ſanctiſſimæ Reginæ filio, immortali quippe Regi, non obtemperent. Nihil ad iſta Rex; vultu tamen ſignificat, in animo ſibi eſſe, Chriſtianam legem profiteri. Diſcedit lætus hac ſignificatione Gonzalus. Poſt vnum deinde & alterum diẽ, Rex illi per Caiadũ denuntiat, velle ſe cum matre ſua Chriſti populo aggregari, pergat quamprimum ad ſe baptizandum. Pater præpotenti Deo & Deiparæ Virgini pro tam inſigni beneficio gratias agit immenſas. Ratus tamen non properandum, aliquot intermittit dies, in quibus ad tantum myſterium Re-

gem ac Reginam probè præparat, fideique rudimentis ac præceptionibus diligenter imbuit. Bis illis in die Christianæ legis capita exponit, efficitque vt memoriæ mandent. Vbi rectè instructos iudicat, tum verò sub finem mensis Ianuarij, quinto & vigesimo post aduentum suum die, quanta potest solemnitate & apparatu, Regem & Reginam eius matrem aqua salutari abluit, illique Sebastiani, huic Mariæ nomen indit. Ipso Baptismatis die, quoniam aurum Pater contemnebat, centum illi boues rex dono misit; quibus acceptis Hecatombem æterno Numini Gonzalus fecit. Duci ad Caiadum boues iussit, vt in frusta dissecti pauperibus distribuerentur. Quæ res, vt illis in locis noua & insolens, ita & magnam Gonzalo conciliauit totius populi beneuolentiam; & incredibilem apud omnes admirationem consecuta est. Trecenti ferè post Regem è prima regni nobilitate Christiano sacramento se adstrinxere, qui cùm multa ad Gonzalum munera assiduè mittebant, lac videlicet, butyrum, oua, hædos, & his paria; tum verò ab eius latere nunquam ferè discedebant. Illos Gonzalus amicè inprimis ac beneuolè tractabat, atque optimis documentis ad sanctimoniam & pietatem erudiebat. Quæ autem mittebantur, ea ad egenos integra remittebat; cocto ipse milio, herbisque ac fructibus Syluestribus & peracerbis contentus. Tam insigni frugalitate, tamque inusitata apud barbaros in pauperes caritate adeò rei Christianæ existimatio augebatur, vt esset ferè nemo, qui Christianus fieri non vellet.



Mahometani Regem muneribus & fallaciis corruptum ad Gonzali cædem inducunt.

Cap. XII.

DVm hæc feliciter proſperéque procedunt, ecce tibi nefarius humani generis hoſtis inuidiæ facibus ſtimulatus ad labefactandam regis fidem Mahumetanos, egregios ſcelerum adminiſtros, acerrimè inſtigat. Conueniunt inter ſe de re acturi. Cõuentus Princeps Mingames ex Mozambico, vir peſſimus, & Mahumetanæ ſuperſtitionis antiſtes. Magno eorum conſenſu ſtatutum, vt Gonzali inprimis cædes omni ope procuretur; hinc pendere omnia. Iniquiſſimi deinde conſilij certiores & conſcios per literas, ac nuntios faciunt reliquos eiuſdem ſectæ cultores, qui habitant Senæ, qui in regno Sofalæ, qui cæteris in locis atque inſulis magno flumini Cuamæ conterminis. Præterea, quia nullum telum eſt pecunia fortius, decernũt bonam inter ſe colligere pecuniæ ſummam, qua Regis animum aduersùs Gonzalum irritent, ſi dolis, mendaciis, falſis criminationibus nihil efficiant. Tãdem toto ex grege deliguntur quatuor, qui & gratia apud Regem plus valeant, & calliditate ac potentia reliquos ſuperent; quorum primus Mingames ipſe. Omnes hi fallẽdi arte & veneficiis inſignes, illico ad Regem volant; ſincerum

erga ipſum, eiuſque domum atque vniuerſum regnum ſimulant ſtudium; Gonzali innocentiæ per ſummam nequitiam inſidias tendunt. Tantum illum veneficiis & incantationibus aiunt poſſe, quantum vix fingi queat. Exploratorem in ea loca veniſſe, non amicū; idipſum in Monomotapæ regno velle, quod tota in India, & in maxima Africæ parte voluêre Langarij; (ſic Luſitanos vocant.) eos verò per ſpeciem ſocietatis & amicitiæ aliena regna fraudulenter inuadere, & ſua ſub iuga mittere. Id ſi Rex ipſe oculis videre ſuis velit, & ſuis manibus, vt dicitur, tangere, effecturos ſe, vt nulla ratione dubitet, vera eſſe, quæ nuntiant. Quatuor ergo ſudibus in medium allatis, & varia huc & illuc ſuperſtitione motis, ſortes ducunt; Regique impudenter ſuadent, ſortibus ipſis apertiſſimè ſignificari, Cacizium Nazarenorum (Saraceni Chriſtianos appellant Nazarenos,) ab Indico Prorege & Sofalæ præfecto ad explorandas Monomotapæ regiones miſſum; ni ſtatim opprimatur, Luſitanorum exercitum Regi regnoque exitio venturum. Dubitaſne, inquiunt, deluſe Rex, vera eſſe quę prædicimus, ac certò futura, niſi maturè properes, malorum auctorem de medio tollere? Reuoca in memoriam, quonam pacto, ſimulatque in Mozambicum receptum eſt hoc genus hominum, Sofalæ regnum, tibi primum vectigale, per vim occuparit. Ignoras hac Langarios arte maritimam Indiæ oram ſuum ſub Imperium ditionemque redegiſſe? Conſule tibi, innocens Rex, ac rebus tuis; vide in quantū iam diſcrimen

adductus ſis. Cæcus ſanè eſt, qui non videt coniurationis huius partem maximam ad Sciputum pertinere Sofalæ tyrannum, qui non ita pridem debitam tibi obedientiam fidemque auſu ſacrilego negans, ad Langarios defecit. Non ſentis popularium animos ficta liberalitate ad defectionem clanculum ſolicitari? Quorſum ea tendit ſimulata pietas, qua aſtutiſſimus impoſtor boues à te dono miſſos, per ſpeciem miſericordiæ, populo diſtribuit? Agnoſce dolos: tuis tibi muneribus inſidiæ parantur. Tuorum ſibi animos conciliat, vt ipſi cædis tuæ non modò conſcij, verumetiam adiutores & adminiſtri ſint. Quid hominem iſtum mortalibus æquè & immortalibus exoſũ ſibi velle credis, cùm capita veſtra medicato liquore perfundens, verba quędam pronuntiat orco, non ſuperis nota! Non vides tuum, ac tuorum exitium verbis illis procurari? terribiles ab ſtyge euocantur furiæ, quæ veſtris ſenſim mentibus illabantur, vt deinde ſymphati ac dementes mutuis inter vos cædibus concurratis. Quid plura? Res notiſſima eſt. Vna tantùm reſtat occurrendi malis via. Vnus iſte mactetur, cuncta in tuto ſunt. Age, de medio tolle, qui tibi ac tuis interitum molitur: quò feceris citiùs, eo te inſtanti periculo faciliùs expedies. Hæc & multa alia, quæ perfidis hominibus ſummum in Chriſtianam religionem atque in Gonzalum odium, certumque amittendi quæſtus diſcrimen abundè ſuppeditarunt, Addita inſuper, quæ inter ſe collegerant, munera ita Regis adoleſcentis, parumque experti animum per-

mouere, vt Gonzalum internecioni dare statim decreuerit, & in eamdem sententiam familiares suos pertraxerit. Latebant adhuc nefaria Regis consilia, cùm Gonzalus, diuinitus præmonitus, Antonio Caiado portarum præfecto rem totam exponit. Non sum, inquit, nescius, Antoni mortem mihi à Rege parari, nec abesse procul, quin sacrilegis oppressus manibus, supremum edam vitæ spiritum. Mors me neque imparatum, neque metu trepidum inueniet, sed impauidum & lætitia exultantem. Infelicis regis me miseret, quem Mahumetica iniquitas mendaciis obrutum, humanæ diuinæque fidei efficit desertorem. Caiadus somnium sibi narrari credit, subridénsque, Ecquis, inquit, optime pater, hanc tibi iniecit mentem? Neminem Rex, mihi crede, pluris te facit; neminem etiam habet cariorem. Hæc vbi dicta, actutum se in aulam proripit, sermones de Gonzalo cum Rege miscet: peruersum Regis propositum, vultu animum prodente, facilè deprehendit: tum verò omnes industriæ neruos intendit, vt deceptum adolescentem ad meliorem mentem reducat: iterum atque iterum orat & obsecrat, ne quid temerè aggrediatur; maturè consideret, quàm execrandum in Deum crimen suscipiat; quantũ Indici Proregis & Lusitani Regis amicitiã lædat: quàm deniq; graue suis humeris imponat onus: neque enim aut mortales homines, aut immortales cælites cædem Gonzali, innocentissimi viri & omnibus carissimi, inultam passuros. Hæc & id genus alia, quæ Caiadus protulit, Regis animum, in nefario

rio proposito firmiter obstinatum, nihil mouere. Ad omnia respondit, iussurum se acciri Engãgas (hoc erat Mahumetanis nomen) & rem cum illis denuo acturum. Hoc audiens Caiadus cùm rectè intelligeret, in eo consilio, in quo ipsi sceleris auctores sententiam essent laturi, non aliud decerni posse, quàm quod omnibus votis appetebant, ad Gonzalum reuersus, Ergo, inquit, optime pater, subeunda tibi mors est: ea Regis animo firma constánsque insidet sententia, à qua non video qua possit ratione deterreri. Interim Enganghæ cum Rege ad concilium coëunt. Eripi Gonzalo vitam oportere, nemini eorũ dubium; neque id volunt in consultationẽ adduci. De genere lethi & tẽpore quæritur; facileque inter omnes conuenit, qualiscunque mors sit, vt quàm minimum differatur. Cùm igitur consilium idibus Martiis initum sit, vt sequenti statim nocte vita Gonzalo eriperetur, omnium calculis decretum est. Cæterùm res adeò secretò gesta, nihil vt in vulgus prodierit. Quapropter Regẽ iterum Caiadus adit, iterúmque minas cum rationibus miscens, ab iniquissimo proposito reuocare conatur. Tum Rex, Mahumetanam imitatus vafritiem, fingit à Gõzali nece velle se abstinere; satis esse, si ab vrbe tantùm discedat, eò se discessu fore contentum. Similia Regis mater, quam quoque Caiadus alloquitur, simili calliditate respondet. Gonzalus tamen vltimam sibi instare lucem certo sciens, ab Antonio ad se reuerso, & mitiora nuntiante obnixè petit, vt duos tresve Lusitanos ab vico quo

quodam non longè disiuncto, ad se confestim vocet, vt confessione expiatos cælesti pane reficiat. Enitere, inquit, vt quamprimùm veniant, nisi enim hæc illis hodie sacramenta confero, conferre postea non potero. Caiado profecto, rem diuinam Gonzalus differt, dum vocati veniunt; sed iis sub meridiem nondum præsentibus, sacrum facit, duásque hostias consecrat, vt se vna, altera vocatos, si inter litandum venerint, reficiat. Verùm cùm ad Missæ finem comperit, eos adhuc abesse, vtramque consumit. Peracto sacrificio, quinquaginta circiter Cafres, quos rectè priùs instituerat, Christo per Baptismum adiungit, iisque vestes & rosaria partitur. Veniunt sub vesperam cum Caiado Lusitani, quos quia Christi corpore cibare tunc non poterat, salutari tantùm pœnitentia expiauit, & optimis ad rectè viuendum consiliis munitos domum remisit. Tanta verò lætitiæ significatione hæc præstitit, vt omni ipsos imminentis mali suspicione liberarit. Cumque nihilominus permanere aliquantulum cum ipso vellent, haud permisit, ne laboris socios haberet. Præterea, qui domi erant libri, eos cum sacra supellectile deferri ad Caiadum iussit, relicta sibi cum linteo & duobus cereis imagine Christi crucifixi nō alium vitæ defensorem, neque alium habere volens in morte socium. Reuertit sub noctem Caiadus; Gonzalum reperit prope domicilium deambulantem noua indutum veste, ac linteatum, adeò hilarem ac lætum, vt attonito similis constiterit. Hominem Gonzalus conspiciens solicitudi-

ne

ne anxium; propiùs accedit, eiúsque pectus leuiter manu prehendens, Quæ te, inquit, de me solicitudo tenet, Antoni? Scito multò me promptiorē esse ad obeundam mortem, quàm ipsimet sint hostes mei ad inferendam. Regi inprimis, & Regis matri libēter parco; ille adolescēs, hæc fœmina est; vtrumque ab Sarracenis decipi, haud erat difficile. Summis deinde precibus à Deo contendo, ne huius necis, quæ mihi iamiam imminet, vllam ab inferentibus vindictam sumat; sed damno potiùs meo, grauissima huius vrbis scelera compensari velit. Hæc pater, non impauido tantùm, sed hilari etiam vultu. Caiadus contrà solicitus & mœrens, quanuis inducere animum non posset, tam immane nefas contra innocentissimum virum ab Rege patratum iri, diuelli tamen ab ipso nec volebat, nec vlla ratione poterat: sed tandem Gonzali precibus defatigatus discessit. Vix domum attigit, cū duos famulos misit, qui rectè obseruarent, quid ageretur, & se, si quid esset periculi, continuò monerent. Non tam parati erant hostes ad inferendam Gonzalo mortem, vt idem Antonio Caiado dixerat, quam ipse ad sustinendam, summo eius subeundæ ardebat desiderio, nec poterat, præ immenso animi ardore loco vno firmus consistere. Nunc ad Crucifixi imaginem accedens flectit genua, trahensque ab imo corde suspitia, Christum pro humano genere crudeliter occisum precatur, omnes in se barbarorum iras effundi sinat; meminerit, quid sibi sæpiùs in Lusitania promiserit, quid futurum prædixerit; oblatam

oblatam esse adimplendi promissi & liberandæ fidei sibi datæ opportunitatem. Nunc incredibili quodam animi ardore ab oratione surgens, horæ, qua mactandus est, segnitiem tarditatemque incusat. Nunc iterum redit ad preces, iterúmque ante crucifixi imaginem genibus nixus, vehementer Christum orat, ne hostium manus impediat, quominus in corpus suum crudelissimè desæuiant. Tandem carnificum aduentum Spiritu præsentiens è diuersorio egreditur, vt Christi exemplo, venientes excipiat, atque in vicina area intentis semper in cœlum oculis, manibus modò in altum sublatis, modò in formam Crucis ad pectus compositis, hnc illuc citatis passibus ambulat, interq; suspiria & gemitus dulcissima serit cum Deo colloquia. Cùm ad multam iam noctem ventum esset, nec dum tamen hostes comparerent, (latebant enim in vicino loco, neque deambulantem, aut vigilantem audebant impetere,) fessus ad suum se cubiculum iterum recepit, & in arundineo strato, quod inibi erat, Christi effigiem inter accensos cereos mediā collocans, flexis rursus genibus, eadem, quæ priùs, precari à Deo cœpit; atque inter vòta precesque ex lassitudine decubuit, leuique somno correptus est. Id verò hostes, qui eo interim spatio venerant, conspicati, in Dei seruum repente irruunt, & crudelissimè oppressum communi luce priuant. Octo circiter satellites erant. Inter eos nobilitate & rebus cæteris princeps Macrumes, genere sectaque Ethnicus, sed Gonzalo apprimè notus, eiusque familiaritate

& in

& in mensa & in priuatis colloquiis frequenter vsus. Hic proditorem Iudam imitatus, nefarij facinoris dux reliquis fuit. Primus enim impetum faciens, iacentis Gonzali pectus summa vi insidet. Accurrunt subitò quatuor alij: duo manus, duo pedes apprehendunt, immotumque tenent corpus. Tum reliqui funem collo iniiciunt, fortiter vtrinque adducunt, & obstrictis faucibus spiritum præcludunt. Multò tum cum sanguine ex ore & naribus expressò victor animus è corporis ergastulo exiens, atque ad cælestes sedes aduolans, mortali vitæ, & immensis laboribus imponit finem. Obiit Gonzalus eodem lethi genere, quod sæpiùs in Lusitania prædixerat, anno salutis nostræ millessimo quingentesimo sexagesimo primo, postridie idus Martias, quarta Quadragesimæ Dominica, quæ cùm à Lusitanis propter Susannæ historiam, quę præcedente sabbato in Missa decantatur, Susannæ Dominica soleat appellari, occasio alicui fuit scribendi, Gonzali martyrium in eum incidisse diem, qui Virgini & Martyri Susannæ natalis est. Sancti viri cadauer reste per terram tractū in vicinum fluuium, quem Mosengessem, seu, vt apud alios reperio, Motetem incolæ vocant, iidem carnifices proiecere; non ob id quidem, quòd Mahumetani finxerant, ne sub dio relictū halitu suo terram cœlúmque corrumperet, & miseros mortales pestifero tabo absumeret; sed ne diuinæ prædictioni deesset fides. Prædixerat enim Gonzalus, se pro Christo ab eius hostibus præfocandum, corpúsque suum in fluuium, vbi

nun

nunquam ampliùs appareret, proiiciendum; quod euenit. Ferunt plurimos in eo amne degere miræ magnitudinis & voracitatis lacertos, crocodilos crede; Eos verò, cùm antea eſsēt ſoliti accedētes incautè ad ripam homines, ex inſidiis capere, & deuorare, vbi tamen Martyris corpus fluuio exceptum eſt, veluti depoſita feritate, ſic ab humanis carnibus temperaſſe, vt exploratum ſit, nulli deinceps homini, ad hunc vſque diem nocuiſſe, cùm id facere non difficilè poſſent. At enim antequam interfectores mortuum corpus è tugurio educerent, ſordida victi cupiditate illud veſtibus denudarunt: cumque ferreum cilicium carni coniunctum reperiſſent, attoniti rei nouitate, ſtatuerunt apud ſe hominem, qui pro lanea aut linea veſte, ferro vtebatur, non alium, quàm inſignem veneficum eſſe poſſe. Non fuit autem miſeris ſatis, in corpus Martyris deſæuiſſe, in ipſam quoque Chriſti imaginem effudere furorem; arreptam enim tabulam poſt mille iniurias & probra, varias in particulas ſacrilegis manibus ſectam, pedibus cōculcandam in terram proiicere.



Quid poſt Gonzali necem Regi & aliis contigerit.

CAP. XIII.

GONZALO vita mortali exempto, audiens Rex, homines quinquaginta paulò ante

eius

eius mortem, lustrali aqua ab ipso fuisse perfusos, & variis muneribus donatos, ira excãdescẽs, vt exuti donis quamprimum interimantur, seuerè mandat. Peruulgato Regis imperio, Lucazes, qui regni primores sunt, ipsum adeunt, cur occidi illos homines iubeat, sciscitãtur: Si ea, inquiunt, causa est, ô Rex, quòd aquam capitibus suis à Gonzalo infundi passi sunt, & nos etiam, & teipsum mori, necesse erit; cùm eadem omnium culpa sit. Victus ratione Rex à cæde abstinet. Interim tamen Mahumetani & Gonzali nece, & Regis, à Christo defectione sũmopere gaudere: conuentus per domos gregatim facere; alacres & læti inter se gratulari; celebrare conuiuia; immensis laudum præconiis Mahumetem extollere; innumeris probris & contumeliis Christianam religionem proscindere: ad reliquos eiusdem superstitionis, qui in tota Cafraria erant, læta de euentu nuntia per tabellarios mittere. Verùm neque diuina defuit iustitia, quæ iniustam sanctissimi atque innocẽtissimi viri necem vindicaret, sicut iurati testes affirmant, Gonzalum ipsum ante illatam sibi mortem prædixisse: neque benignissimi Numinis clementia eiusdem viri precibus & sanguine conciliata. Secuta inprimis est maxima, atque ad id vsque tempus in illis locis incognita & inaudita agrorum calamitas. Comparuit enim innumerabilis quædam ac pænè infinita, inque exercitus morem disposita locustarum multitudo, quæ obiectu suo solis lumen in ipso meridie tegebant; segeres, fructus, frondésque arbo-

K rum,

tigit, vt carcer templo Lusitanorũ propinquus esset, & aduersus; ex quo effectum, vt Christiana inde sacra & cæremonias per otium notare posset. Videbat enim quo pacto mortuorum corpora apud nos accensis cereis, funebri cleri cantu, campanæ sonitu, bono viuorum comitatu in templũ delata, multa cum supplicatione sepelirentur. Audiebat musicos concentus, quibus festis profestísque diebus res diuina celebratur. Conspiciebat magnam Christianorum multitudinem ad audiendum sacrum quotidie in templum confluentium. Cùm verò hæc & plura alia mente fixa Ampeus teneret, contigit vt aliquando dormiens videre sibi videretur alterum è duobus Societatis sacerdotibus, qui tum Senæ erant, accedere ad sese, & amicè monere, vt ex Mahumetanis tenebris ad Christianam lucem transfugeret. Sequenti deinde nocte pulcherrimam Crucem in somnis conspiciens simul vocem audiuit, quæ monebat, vt Patrum Societatis arbitrio se committeret, nec ab eorum consilio vnguem latum discederet. Postero die à lecto surgens acciri ad se iubet Antonium Melum, nobilem Lusitanum, quo cum ipsi nonnulla erat amicitiæ necessitudo. Rem totam narrat, certò affirmat, velle se Christianum fieri; det igitur operam, vt aliquis ex Societatis religiosis ad se instituendum, & salutari aqua mundandum, quamprimum veniat. Vocatus ad id negotium P. Stephanus Lupius, qui carcerem ingrediens, cùm dubitare iure posset, fictóne animo ad vitandam mortem, an sincero Baptismum Ampêus

pêus postularet, apertè hominem monet, siue in Mahumetica superstitione persistat, siue saniori mente Christianam amplectatur religionem, certò sciat stabili prætoris sententia statutum, vt absque vlla dubitatione mortis suppliciũ subeat. Negat Ampêus vllo se artificio vti; neque verò curæ sibi esse vitam corporis tueri; sed animi salutem optare quàm maximè, & eius causa Christo velle copulari, id tantum obnixè petere, vt ante mortem lustrali aqua perfundatur, & Christianorum numero aggregetur; post mortem verò corpus suum Ecclesiastico ritu sepulturæ commendetur. Habita Ampêo fides, & Christiana mysteria, quoad tempus patiebatur, sedulò impertita. Per eos dies res contigit non indigna relatu, qua Deus videtur voluisse, sincerum Ampêi animum dubitantibus patefacere. Decumbebat graui morbo correptus Ignatius Mendius nobilis iuuenis moribus æquè & fortitudine clarus, & Antonij Valẽtis regij quæstoris contubernalis. Hic ad extremum deuenerat, mortuóque similis tres aut quatuor iam dies sine voce ac sensu animam trahebat. Ecce tibi derepentè clamorem tollit, apertè atque expeditè, duo hæc pronuntiat verba, Xequius Ampêus, eaque iterum atque iterum repetit. Ad hæc excitatus quæstor, & ægerrimè ferens à moriente Christiano, cuius ex ore sola Iesu & Mariæ nomina audiri debeãt, Mahumetanum turpissimũ, & Lusitanis maximè exosum appellari, (de eius conuersione nihil adhuc audierat.) Eia, inquit, quid tu hoc tempore in faustum nomen mori-

bundo ore vsurpas? Iesum cōpella, veram hominum salutem, & eius matrem, vnicum in periculis subsidium. Desine fœdissimo nomine os conspurcare. Nihil æger ad hæc; sed postquam paululum quieuit, elata iterum voce illud idem ingeminat, Xequius Ampêus; additque insuper, Cum illius anima mea anima sit. Post hæc modico interuallo extremum reddidit spiritum. Summum quæstor ex hac re mœrorem animo concepit, déque mortui iuuenis salute hac ex parte valde dubius, adit Franciscum Monclarū Societatis Iesu sacerdotem, & cum magna intimi doloris significatione, quid euenerit, exponit. Re Monclarus audita, occultas mortalibus diuinæ prouidentiæ rationes summopere admiratus, anxietate & mœstitia Quæstoris animum liberat, simúlque docet, illas Ignatij morientis voces veluti oracula fuisse, quibus beneficentissimus Deus & suam in Ampêum clementiam, & felicissimam hominis conditionem voluerit demonstrare. Atque his dictis, cùm graui premeretur ægritudine, contineri non potuit, quin è lecto ocyssimè surgeret, & Ampêi videndi gratia hominum manibus deportatus, tenderet in carcerem. Eò vbi venit, nouum Christi militem reperit, sic erectum animo, vt pro eodem Christo mori summopere optaret, sic item in nostram religionem affectum, vt reliquis Mahumetanis, qui in vinculis erant, fidei Christianæ veritatem incredibili animi contentione prædicaret. Quoniam verò ardenti quodam Christi amore erat inflammatus, placuit Monclaro, vt Laurentij no-

men

men in Baptiſmo acciperet; quod factum eſt. Proximo igitur poſt Paſca ſabbato, cum aliis quinque ex Mahumetana etiam fœditate ad Chriſtianam munditiem conuerſis, ſacra vnda lotus, paucis pòſt diebus commiſſa per anteactā ætatem crimina debito mortis ſupplicio expiauit. Porrò, vt notaui ſuprà, illud per id tempus crebris vulgi ſermonibus iactatum, & magna approbatione receptum eſt, Gonzali animum corporis cuſtodia ſolutum, calidas ad Deum ſudiſſe preces, atque ab eo obtinuiſſe, vt Ampêus ab ignorantiæ carcere ad veritatis lucem eductus, peſſimam vitam fine optimo, quod tamen rariſſimum eſt, feliciter concluderet.

bundo ore vsurpas? Iesum cōpella, veram hominum salutem, & eius matrem, vnicum in periculis subsidium. Desine fœdissimo nomine os conspurcare. Nihil æger ad hæc; sed postquam paululum quieuit, elata iterum voce illud idem ingeminat, Xequius Ampêus; additque insuper, Cum illius anima mea anima sit. Post hæc modico interuallo extremum reddidit spiritum. Summum quæstor ex hac re mœrorem animo concepit, déque mortui iuuenis salute hac ex parte valde dubius, adit Franciscum Monclarū Societatis Iesu sacerdotem, & cum magna intimi doloris significatione, quid euenerit, exponit. Re Monclarus audita, occultas mortalibus diuinæ prouidentiæ rationes summopere admiratus, anxietate & mœstitia Quæstoris animum liberat; simúlque docet, illas Ignatij morientis voces veluti oracula fuisse, quibus beneficentissimus Deus & suam in Ampêum clementiam, & felicissimam hominis conditionem voluerit demonstrare. Atque his dictis, cùm graui premeretur ægritudine, contineri non potuit, quin è lecto ocyssimè surgeret, & Ampêi videndi gratia hominum manibus deportatus, tenderet in carcerem. Eò vbi venit, nouum Christi militem reperit, sic erectum animo, vt pro eodem Christo mori summopere optaret, sic item in nostram religionem affectum, vt reliquis Mahumetanis, qui in vinculis erant, fidei Christianæ veritatem incredibili animi contentione prædicaret. Quoniam verò ardenti quodam Christi amore erat inflammatus, placuit Monclaro, vt Laurentij nomen

men in Baptiſmo acciperet; quod factum eſt. Proximo igitur poſt Paſca ſabbato, cum aliis quinque ex Mahumetana etiam fœditate ad Chriſtianam munditiem conuerſis, ſacra vnda lotus, paucis pòſt diebus commiſſa per anteactã ætatem crimina debito mortis ſupplicio expiauit. Porrò, vt notaui ſuprà, illud per id tempus crebris vulgi ſermonibus iactatum, & magna approbatione receptum eſt, Gonzali animum corporis cuſtodia ſolutum, calidas ad Deum fudiſſe preces, atque ab eo obtinuiſſe, vt Ampêus ab ignorantiæ carcere ad veritatis lucem eductus, peſſimam vitam fine optimo, quod tamen rariſſimum eſt, feliciter concluderet.

bundo ore vſurpas? Ieſum cōpella, veram hominum ſalutem, & eius matrem, vnicum in periculis ſubſidium. Deſine fœdiſſimo nomine os conſpurcare. Nihil æger ad hæc; ſed poſtquam paululum quieuit, elata iterum voce illud idem ingeminat, Xequius Ampêus; additque inſuper, Cum illius anima mea anima ſit. Poſt hæc modico interuallo extremum reddidit ſpiritum. Summum quæſtor ex hac re mœrorem animo concepit, déque mortui iuuenis ſalute hac ex parte valde dubius, adit Franciſcum Monclarū Societatis Ieſu ſacerdotem, & cum magna intimi doloris ſignificatione, quid euenerit, exponit. Re Monclarus audita, occultas mortalibus diuinæ prouidentiæ rationes ſummopere admiratus, anxietate & mœſtitia Quæſtoris animum liberat, ſimúlque docet, illas Ignatij morientis voces veluti oracula fuiſſe, quibus beneficentiſſimus Deus & ſuam in Ampêum clementiam, & feliciſſimam hominis conditionem voluerit demonſtrare. Atque his dictis, cùm graui premeretur ægritudine, contineri non potuit, quin è lecto ocyſſimè ſurgeret, & Ampêi videndi gratia hominum manibus deportatus, tenderet in carcerem. Eò vbi venit, nouum Chriſti militem reperit, ſic erectum animo, vt pro eodem Chriſto mori ſummopere optaret, ſic item in noſtram religionem affectum, vt reliquis Mahumetanis, qui in vinculis erant, fidei Chriſtianæ veritatem incredibili animi contentione prædicaret. Quoniam verò ardenti quodam Chriſti amore erat inflammatus, placuit Monclaro, vt Laurentij nomen

men in Baptiſmo acciperet; quod factum eſt. Proximo igitur poſt Paſca ſabbato, cum aliis quinque ex Mahumetana etiam fœditate ad Chriſtianam munditiem conuerſis, ſacra vnda lotus, paucis pòſt diebus commiſſa per anteactã ætatem crimina debito mortis ſupplicio expiauit. Porrò, vt notaui ſuprà, illud per id tempus crebris vulgi ſermonibus iactatum, & magna approbatione receptum eſt, Gonzali animum corporis cuſtodia ſolutum, calidas ad Deum fudiſſe preces, atque ab eo obtinuiſſe, vt Ampêus ab ignorantiæ carcere ad veritatis lucem eductus, peſſimam vitam fine optimo, quod tamen cariſſimum eſt, feliciter concluderet.

rum,herbas,& quidquid terra profert,insatiabili ingluuie deuorabant. Immensa inde hominum strages consecuta; post aliquot verò annos Rex ipse ingenio & sæuitia Neroni similis, Mariam matrem,quòd Mahumetanos Gonzalo interitũ machinantes non modò non repulerit, sed etiã iuuerit,interfici imperauit. Eandem in quatuor consiliarios tulit mortis sententiam, ex quibus duo statim occisi;alij duo rem subodorati, vitæ fuga consuluere. Ex iis verò Cacizius Mingames,conspirationis & iniquissimi consilij princeps,cùm in nulla Cafrariæ parte tutò esse, neque in natale solum(id Mozambicum erat) remeare posset,velut alter Cainus, ignotas, dũ vixit,regiones vagus exulq; pererrauit. Cæteri demum,ad quos pessimi facinoris causa pertinuit, aliquanto quidem serius,sed iustam tamen Numinis iram experti sunt. Cùm enim postea valido cum exercitu in ea Monomotapæ loca venisset Franciscus Barretus,dux Lusitanus,effecit,vt Mahumetani omnes,qui regia tunc in vrbe erãt, edicto regio foras pellerentur,& Senam ipse ingrediens ex Lusitani Regis mãdato sceleris participes diligentissimè conquisiuit, comprehensosque atque exquisitissimis tormentis ad terrorem & exemplum cruciatos, morte turpissima multauit. Quæ tamen Dei benignitas est, ex iis ipsis, qui susceptum flagitium supplicio capitis persoluere, nonnulli cognita fidei nostræ veritate,animi salutem procurantes, Christianis sacris initiari voluere, susceptoque Baptismi Sacramento à corporis morte ad immortalem vitam,

tam, vt æquum eſt credere, commigrarunt. In his auctoritate, doctrinæ opinione, & iniquæ ſuperſtitionis ſtudio primus fuit Xequius quidam nomine Ampêus, quem noſtri cognomento compoſito ex duobus vocabulis apud Luſitanos & Caſtellanos idem ſignificãtibus, ignominiæ cauſa, camperrum, hoc eſt, canem vocitabant. Quô iſte, ſpectato hominum iudicio, à Chriſtiana religione amplectenda alienior videbatur, eò veriſimilius eſt, Gonzali precibus ac ſanguini ſecundùm Deum tribuendum eſſe, quòd illam ſit amplexus. Referunt illum, Mahumeticis erroribus cæteroqui apprimè deditum, & omni flagitiorum genere corruptũ, vi tamen ingenij & acri iudicio præditum, ſimulatque Societatis Ieſu religioſos in Æthiopia vidit, ſumma diligentia obſeruare ſolitum eorum mores, omnemque agendi rationem, quid videlicet dicerent; quid facerent, quomodo militum & reliquorum hominum vitia perſequerentur, eoſque ad iuſtitiam, atque ad omne genus virtutum accenderent; pauperum miſerias ſubleuarent; ſolarentur vinctos; ægros inuiſerent; ſepulturæ mortuos mandarent; aliaque huiuſmodi miſericordiæ ac pietatis opera præſtarent. Hæc cùm perſpiceret, ſenſim animo commoueri, de virtute bene ſentire, Chriſtianam profeſſionem magni facere, veritatis agnoſcendæ deſiderio de Mahumetica turpitudine dubitare. Cùm ergo ſuper hanc rem ancipiti teneretur cogitatione, comprehenſus ob Gonzali necem, & in vincula coniectus eſt: ſed diuino prorſus beneficio contigit,

pêus postularet, apertè hominem monet, siue in Mahumetica superstitione persistat, siue saniori mente Christianam amplectatur religionem, certò sciat stabili prætoris sententia statutum, vt absque vlla dubitatione mortis suppliciū subeat. Negat Ampêus vllo se artificio vti; neque verò curæ sibi esse vitam corporis tueri; sed animi salutem optare quàm maximè, & eius causa Christo velle copulari, id tantum obnixè petere, vt ante mortem lustrali aqua perfundatur, & Christianorum numero aggregetur; post mortem verò corpus suum Ecclesiastico ritū sepulturæ commendetur. Habita Ampêo fides, & Christiana mysteria, quoad tempus patiebatur, sedulò impertita. Per eos dies res contigit non indigna relatu, qua Deus videtur voluisse, sincerum Ampêi animum dubitantibus patefacere. Decumbebat graui morbo correptus Ignatius Mendius nobilis iuuenis moribus æquè & fortitudine clarus, & Antonij Valêris regij quæstoris contubernalis. Hic ad extremum deuenerat, mortuóque similis tres aut quatuor iam dies sine voce ac sensū animam trahebat. Ecce tibi derepentè clamorem tollit, apertè atque expeditè, dūo hæc pronuntiat verba, Xequius Ampêus, eaque iterum atque iterum repetit. Ad hæc excitatus quæstor, & ægerrimè ferens à moriente Christiano, cuius ex ore sola Iesu & Mariæ nomina audiri debeāt, Mahumetanum turpissimū, & Lusitanis maximè exosum appellari, (de eius conuersione nihil adhuc audierat.) Eia, inquit, quid tu hoc tempore in faustum nomen mori-

bundo ore vſurpas? Ieſum cōpella, veram hominum ſalutem, & eius matrem, vnicum in periculis ſubſidium. Deſine fœdiſſimo nomine os conſpurcare. Nihil æger ad hæc; ſed poſtquam paululum quieuit, elata iterum voce illud idem ingeminat, Xequius Ampêus; additque inſuper, Cum illius anima mea anima ſit. Poſt hæc modico interuallo extremum reddidit ſpiritum. Summum quæſtor ex hac re mœrorem animo concepit, déque mortui iuuenis ſalute hac ex parte valde dubius, adit Franciſcum Monclarū Societatis Ieſu ſacerdotem, & cum magna intimi doloris ſignificatione, quid euenerit, exponit. Re Monclarus audita, occultas mortalibus diuinæ prouidentiæ rationes ſummopere admiratus, anxietate & mœſtitia Quæſtoris animum liberat; ſimúlque docet, illas Ignatij morientis voces veluti oracula fuiſſe, quibus beneficentiſſimus Deus & ſuam in Ampêum clementiam, & feliciſſimam hominis conditionem voluerit demonſtrare. Atque his dictis, cùm graui premeretur ægritudine, contineri non potuit, quin è lecto ocyſſimè ſurgeret, & Ampêi videndi gratia hominum manibus deportatus, tenderet in carcerem. Eò vbi venit, nouum Chriſti militem reperit, ſic erectum animo, vt pro eodem Chriſto mori ſummopere optaret, ſic item in noſtram religionem affectum, vt reliquis Mahumetanis, qui in vinculis erant, fidei Chriſtianæ veritatem incredibili animi contentione prædicaret. Quoniam verò ardenti quodam Chriſti amore erat inflammatus, placuit Monclaro, vt Laurentij no-
men

men in Baptiſmo acciperet; quod factum eſt. Proximo igitur poſt Paſca ſabbato, cum aliis quinque ex Mahumetana etiam fœditate ad Chriſtianam munditiem conuerſis, ſacra vnda lotus, paucis pòſt diebus commiſſa per anteactã ætatem crimina debito mortis ſupplicio expiauit. Porrò, vt notaui ſuprà, illud per id tempus crebris vulgi ſermonibus iactatum, & magna approbatione receptum eſt, Gonzali animum corporis cuſtodia ſolutum, calidas ad Deum ſudiſſe preces, atque ab eo obtinuiſſe, vt Ampêus ab ignorantiæ carcere ad veritatis lucem eductus, peſſimam vitam fine optimo, quod tamen rariſſimum eſt, feliciter concluderet.



VITÆ GONZALI SYLVERIÆ, SOCIETATIS IESV SACERDOTIS, IN vrbe Monomotapa martyrium passi,

LIBER TERTIVS.

De studio orandi.

CAPVT PRIMVM.

QVI Gonzalum nouere, testati sunt, nullam esse virtutem, qua non fuerit cumulatè præditus. Vagari per omnes, nec lubet, nec operæ pretium est. Dicam pauca de quibusdam, quæ religiosi viri magis sunt propriæ. Inter quas illa in primis se offert, quæ vt hominem Deo, ita vicissim Deum homini facit familiarem. Ergo semper cùm Deo Gonzalus erat. Siue iter faceret, siue quiesceret, defixos habebat in cœlo oculos, cuius aspectu mirabiliter refectus, omnes eas, quæ ex humanis rebus percipiuntur, voluptates, vti rem valde noxiam, aspernabatur, ac respuebat. Sæpe in cubiculo

reper

repertus est, sic extra se positus, vt nullum externorum sensuum haberet vsum. Nõnunquam etiam visus est, superato corporeæ molis pondere, abstractus à terra in sublimi pendere. Rem dicam hoc de genere graui testimonio firmatam. Domum professam Olysipponẽsem incolebat Gonzalus. Erat tunc ibi sacrarij custos Petrus Marchins, Conimbricensis postea collegij ministerio notus. Is negotij causa ad Gonzalum adiens, & cubiculi ostium aperiens, hominem videt è terra sublatum pendere in äëre. Visu attonitus accurrit subitò ad Gonzalum Vasium de Mello, magnæ virum prudentiæ, & pietatis, qui tunc in eadem domo concionatoris fungebatur officio, prouinciam postea magna laude administrauit. Huic Petrus vix animum ex lassitudine colligẽs, quid viderit, exponit. Vterque alios vocat. Multi simul ad cubiculũm properant; apertis foribus Sylueriam aspiciunt, eleuante spiritu sarcinam corporis, à terra sublimem. Miraculi magnitudine perculsi, sese mutuò contuentur, vim diuinam simul & viri sanctitatem facilè prædicantes. Tum diligenter cuncta obseruant, statum, formam, eleuati corporis circumscriptionẽ. Hisque notatis, & clauso cubiculi ostio, non stupefacti minus, quàm recreati, discedunt. Mello insuper admirationi & solatio lacrymas addens, immensa diuinæ liberalitatis dona, corde & ore quantum potest, extollit. Olysippone iterũ propter regij palatij vestibulum iter faciens, diuina contemplando, eum in modum ab se ipso recessit, vt socio

 inter

inter prætereuntem turbam relicto, currentis more gradum accelerarit. Constitit, occulta aliqua vi compulsum rapi. Cùm rem diuinam faciebat, adeò frequenter ecstasim patiebatur, vt quid, quóve loco dicendum esset, à ministro quærere cogeretur. Indicæ prouinciæ præfectus, re diuina confecta, ita ab altari redibat ab se abstractus, vt relicto sacrario, sicut erat, sacris vestibus indutus, ad cubiculũ pergeret. Quamquam verò siue cum externis, siue cũ domesticis ageret, semper cum Deo esse, eiusque frui consortio videbatur; priuatim tamen, partim in cubiculo, partim in templo multas diei, multas noctis horas orando consumebat. Hic porrò corporis status, hæc ferè Gõzalo forma, cùm priuatim orabat: Flexis erat genibus, sublatis in cœlum oculis, brachiis interdum per corpus rectà demissis ac protensis, interdum in Crucis figuram conformatis, reliquo corpore ita erecto & immoto, vt res magis in anima, quàm prædita sensu videretur; cùm ne leuiter quidem vllam in partem caput inflecteret, neque aliò, quàm ad cœlum volueret oculos. Cùm accumbebat mensæ, sic erat totus in earum rerum, quæ legebatur, considetatione defixus, vt loci, officij, sui denique obliuisceretur. Quoniam verò multum interest, qua animi integritate niteat Euangelicæ doctrinæ prædicator; nec minùs exemplo, quàm verbis adduci debẽt, tam infideles ad fidem, quàm ad iustitiam peccatores; in assidua verò atque intima cùm Deo familiaritate & rectè viuendi & in proximorum salutem vtiliter incumbendi

tota

tota ferè ratio constituta est, dum Indicæ prouinciæ clauum tenuit, prudenter statuit, vt præter consuetam matutini temporis horam, quæ Deo peculiariter impenditur, præterque semihoram discutiendæ bis in die conscientiæ tributam, socij omnes tempore pomeridiano integram rursus horam Deo darent, quo ad bene viuendum atque ad cõuersionis officium cum fructu peragendũ ab eo vires acciperent. Simili quoque modo ne se aliorum saluti procurandæ ita socij dederent, vt obliuiscerentur sui, iis, qui in ora Piscariæ rem Christianam administrabant, præcepit, vt quantum ius & ratio paterentur, per horam quotidie meditandi ac deprecandi, ad animi profectum aliquid spirituale legendi, conscientiæ bis examinandæ exercitium nulla de causa prætermitterent. Statuit item, vt ad collegium se aliquoties per annum reciperent, ibique secretò cubiculo abditi, per dies aliquot priuatim agerent cum Deo, & ex animo depellerent, si quid sordis esset ex hominum consuetudine contractum. Hanc ob causam in Cocinensi collegio pauciores esse voluit à Resurrectionis Dominicæ festo conciones, quàm esse priùs solerent, vt concionatores ipsi vacuum ab studio tempus rebus darent diuinis, easque animis suis acquirerent diuitias, quibus postea possent aliorum animos locupletare. Est enim experientia compertum, illos, quibus concionandi munus demãdatum est, tantum communiter prodesse aliis, quantum prosunt sibi. Fieri enim non potest, vt cui animus friget, is aliorum

aliorum mentes accendat; aut rerum diuinarum ſaporem, aliis communicet, cui diuina guſtui non ſunt.



De affectu in res ſacras.

CAP. II.

IN primis ex auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio ſummam percipiebat vtilitatem. Eam ob cauſam, ne in maximis quidem occupationibus, illud vnquam intermittebat. Quoniam verò rectè nouerat, eò fructuoſiùs peragi hoc myſterium, quo puriùs; non ſemel tantùm in die, ſed bis etiam ac ter ante celebrationem, animum confeſſione expiabat: quod fuit multos per annos, in India præcipuè, obſeruatum, cùm inibi prouincialem ageret. Si quando tanta erat vis morbi, vt à litando abſtinere cogeretur; à cæleſtis quidem cibi ſumptione nequaquam abſtinebat. Atque ita nullus tranſibat dies, quo diuino illo pane non paſceretur. Chriſti crucem, quã ſemper animo portabat, præcipuo quoque honore putauit palam ſibi eſſe colendã. Quocirca quocunque in cubiculo habitaret, in quatuor parietis partibus cruces quatuor, in ſingulis lateribus ſingulas, affigi curabat, vt quamcunque ſe in partem volueret, illa ſibi imago offerretur intuenti, quæ & dulciſſimum Ieſum indigniſſima crucis morte propter homines mulctatum in memo

memoriam reuocaret,& insuper moneret,à domando corpore, & comprimendis animi appetitionibus, nullo sibi loco, nullo tempore esse cessandum. Quanto studio Deiparam Virginem prosecutus sit, cùm multa alia,tum frequentissimi de ipsa publicè & priuatim habiti sermones argumento sunt. De sanctissima enim Virgine, vbi se occasio dabat, libens gaudensque loquebatur. Interno autem animi in illam affectui externus cultus ex æquo respondebat. Vbicunque enim aliquam eius imaginem intuebatur, demissis modestè oculis, & magna capitis ac totius corporis inflexione, flexis etiam nonnunquam genibus,illam venerabatur. Erat in ambulacro Goani Collegij Virginis effigies, venerationis ergo vulgò exposita: in eius conspectum quoties Gonzalus se dabat,nocturno præsertim tempore,quo minùs posset obseruari, subsistebat paulisper, & supremam rerum reginam ac dominam agnoscens, venerabundus ante illam procumbebat. Idem sæpe animaduersum, cùm in eiusdem collegij horto precarios globulos deambulando percurreret: quoties enim angelicam salutationem inchoabat,toties ante sacram effigiem genua flectens, pium erga beatam Virginem animum ostendebat, quod facere solitas accepimus, tum Margaritam Hungariæ regis filiam, quæ festis Deiparæ diebus salutationem angelicam millies recitans,cuiusque salutationis initio magna pietate poplites curuabat; tum Mariã Oegniacensem, insigni probitate fœminam,quæ singulis quaternis diebus millies centies

ties noctu & interdiu eadem oratione Deiparam salutans, ad initium quoque cuiusque salutationis idem præstabat. Quam venerationis formam dedisse mortalibus creditur Archangelus Gabriel, cùm admirabile illud Filij Dei cum humana natura coniugium Virgini Mariæ, cuius in vtero celebrandæ erant nuptiæ ex augustissimæ Triadis mandato Legatus exposuit. Ferunt enim sub humana modestissimi ac pulcherrimi iuuenis specie oranti Virgini comparuisse, eamque flexis genibus magna cum submissione & reuerentia salutasse. Quinetiam toto legationis negotio peracto, sub ea venerantis forma apud Virginem aliquanto tempore perstitisse, donec tandem in cœlum, vnde venerat, reuersus est; quod enim quidam commentantur, Angelum legatione exposita, acceptoque Virginis responso & consensu, statim abiisse, haud probabile nobis est. Vero certè similius, quod monumenta tradunt venerabilis illius congregationis S. Georgij in Alga, quæ in Lusitania apud peritiores à sancto Ioanne Euangelista, apud vulgus à sancto Elogio nomen habet. Ibi enim scriptum legimus, eos, qui dictæ congregationis anctores fuere, à beata Virgine accepisse, Archangelum Gabrielem, cùm Incarnationis mysterium nuntiatum venit, totas atque integras nouem horas apud eandem Virginem fuisse, ac si ob incredibilem Virginis modestiam, & maiestatem humana maiorem, atque ob diuini Verbi carnè induti præsentiam in admirationem raptus discedere non posset. Quod non ineptè quis pu-

tet

tet à Scriptore sacro indicatum, cùm eius discessum referens, his vsus est verbis, Et discessit Angelus ab ea. Videtur enim voluisse indicare, Gabrielem rerum nouitate & magnitudine obstupefactum sic hæsisse, vt auelli non posset, donec tandem, re exigente, quodammodo tamen inuitus, à loco discesit. Sed quoad Gonzalum attinet, tanto, secundùm Deum, Virginem beatissimam & reliquos cœlites immortales studio coluit, tamque intimo beneuolentiæ, & familiaritatis affectu prosecutus est, vt cœlestem vitam ageret in terris.



De futurorum prædictione.

CAP. III.

CVm tanta Gonzalo esset cum Deo familiaritas, mirari nemo debet, si diuino instinctus impulsu, plurima, antequam forent, prænouerit, & prænuntiarit. Dicam pauca, quæ facilè testentur præscium fuisse futurorum. Vir erat in Lusitania sanguine illustris, vita & moribus obscurus. Eius animæ salutem vt maximè Sylueria exoptabat, ita asiduis eam precibus obtinere à Deo nitebatur. Nunquam verò hoc pietatis officium præstabat ardentiùs, quàm cùm rei diuinæ operam dabat. Verùm id precanti accidebat, vt cùm in reliquo sacrificio numen sibi valde propi

propitium placidumque ſentiret,vbi de miſero illo homine agebat, mox ſibi videretur videre, Numen idem terga vertere,ac veluti iratum recedere.Pater viſu attonitus,atque id,quod erat, intelligens, hominem videlicet in fœdiſsimo ſcelerum ſuorum cœno adeò pertinaciter volutari, vt vel ipſum eius nomen nauſeam moueret Deo,rem eidem narrare ſtatuit, quò diuinæ iuſtitiæ terrore percuſſum ad bonam mentem,ſi poſſet,reuocaret.Eùm igitur aliquando ſiue ſtudio quæſitum,ſiue caſu obuiam factum ſic dicitur allocutus;intelligere non poſſum, quidnam hoc ſit, quod in diuino Miſſæ ſacrificio quoties pro te ad Deum preces fundo (fundo autem quotieſcunque rem ſacram facio) videre mihi videor, Deum ipſum, ad cætera clementem ac benignum, vbi de te mentio fit,mutato quamprimùm vultu,alienum atque auerſum animum oſtendere,& quaſi ſignificare velit, meas pro te ſupplicationes ſibi gratas non eſſe, recedentis ſpeciem prębere.Rem homo riſu excipit,& amicis iocosè narrat, Patris vel ineptam ſolicitudinem, vel ſtultitiam notans.Ex iis,qui narrantem audierunt, vnus fuit Hieronymus Meneſius, is, qui multos annos Conimbricenſem primùm Academiam, Mirandæ deinde, vltimò Portus epiſcopatum rexit, vir nobilitate,literis, & virtute in Luſitania clariſsimus. Funeſtus hominis exitus,vt idem Hieronymus obſeruauit,quo inſtinctu pater locutus fuerit,ſatis declarauit. Per varia enim animi & corporis incommoda miſerè iactatus,& à Romanæ Eccleſiæ corpore,veluti cor

ti corruptum membrum, anathemate præcisus, calamitoso fine infaustam vitam terminauit. Sedente Bracharæ Balthazare Limpo, eò Gonzalus venit, vt Bracharensem populum ad animi salutem iuuaret. Multa in hoc genere præstitit, quibus vniuersos ordines mirificè sibi & Societati deuinxit. Cùm reuersionem pararet, ciuem quendam, virum egregiè pium, quo fuerat in spiritualibus negotiis familiariter vsus, dolentem, quod ea ciuitas Societatis religiosis careret, his verbis solatus est, Si operam, inquit, nostrorum in hac tua vrbe desideras, bono esto animo, non multos post annos tibi, tuisque ciuibus licebit societatis collegium in ea visere, & sociorum doctrina frui. Visum id tum, quàm dictu facile, tam factu impossibile. Quominus enim in ea vrbe vllum fieret quorumcunque religiosorum domicilium, tanta semper omnium ordinum vi intercessum est, vt ne ipsi quidem Archiepiscopi, vrbis domini, quorum nonnulli ex religiosis familiis fuerant assumpti, id vnquam à populo obtinere potuerint, cùm maximè desiderarint. Cæterùm à Deo fuisse Gonzali vaticiniū, euentus probauit. Nam Bartholomæus de Martyribus ex Dominicana familia, antistes pietate & doctrina clarissimus, cùm nullum Bracharæ fratribus suis cœnobium erexerit, nobile Societati Iesu Collegium dedit, quod fuit primum religiosorum hominum domicilium, intra vrbis mœnia ædificatum. Graui aliquando morbo premebatur Philippa Gonzali soror in oppido Goezio de quo dixi suprà; re cognita Conim-

L bricen

briccensis collegij rector eò Gonzalum mittit, vt laborantem sororem aspectu recreet, & si oporteat, ad tolerantiam adhortetur. Profectus illico est ex obedientiæ præscripto. Dumque iter faciens sanitatis negotium Deo commendaret, creditur diuinitus nouisse, neque vllum esse ex ægritudine periculum, neque ita acerbè, vt initio morbi, Philippam affligari. Vbi enim cubiculum ingressus est, nec decumbentem sororem salutans, nec de valetudinis statu quidquam sciscitans, de rebus statim diuinis disserere, & quātum quisque immensæ Dei beneficentiæ adstrictus sit, coràm explicare cœpit. Visus homo est iis, qui aderant, plus æquo austerus, & parum fortasse cultus. Fuit ex propinquis, qui interrupto eius de Deo sermone, quęrere ausus sit, quid causæ esset, cur mœstis omnibus, deque Philippę periculo valde sollicitis, solus ipse, cui tam arctæ cum illa intercederent rerum multarum necessitudines, veluti omnium immemor, tanta vteretur animi duritie, vt nec iacentem salutarit, neque de morbi natura & grauitate quidquam ab assidentibus intelligere voluerit. Ad hæc Gonzalus mansuetè & confidenter respondit, in primis beneficentiæ diuinæ commemorationem, gratissimæ cuiusdam salutationis loco habendam esse; deinde de sororis suæ salute nihil sibi opus esse quærere, cùm non dubitet, quin & periculū absit, & vis morbi imminuta sit; magnopere oportere, vt pro beneficiis, quę in nos Deus identidem confert, quantas possumus gratias illi agamus, ne ingrati animi culpa dulcissimos eius

eius liberalitatis & clementiæ fontesnostram in perniciem obstruamns. Maritimam Persici maris oram ingenti classe infestabant Turcæ simul, & Rumes (aliud Turcarum genus est ab Constantinopoli profectum) & graue Ormusiæ bellũ inferre statuebant. Constantinus Indiæ Prorex, ad obsistendum hosti, classem similiter parari iubet, eique Aluarum Sylueriam Gonzali fratrem, virum militari industria, & rebus gestis insigné, prudenti consilio præficit. Id vbi Gonzalo renunciatum, ad orationem statim se confert, & cum Deo negotium communicat. Adit post hæc Proregem, constanter precatur, ne classem Aluaro cõmittat. Non dubito, inquit, Inclyte Prorex, quin Aluarus is sit, cui demandari grauissima quæque sine temeritate queant. Eius enim virtus multis armorum casibus explorata, cuiusque belli feliciter & pro dignitate gerendi, reportandæque de hostibus victoriæ non modò spem, sed fiduciam facit. Mihi tamen omnino certum est, fore, vt & se & vniuersam classem exitio sit daturus, si cum summo imperio ipsi præficiatur. Iterum igitur atque iterum te oro, vt Lusitanam rem saluam à Turcis velis, & Aluari virtutem expeditionibus aliis reserues. Credit Prorex non ex oraculo, sed ex animi submissione profectam Gonzali vocem. Perstat in sentẽtia; Aluarũ cum classe ad Ormusiam mittit. Soluit ille e portu hilaris, & recta ad hostem contendit. Ad eius conspectum vbi ventum, tanta illico in Aluaro magnanimitas eminuit, vt Turcarum Dux perterrefactus, ho-

norificis à Lusitano conditionibus pacem postularit. Aluarus successu lætus pacem negat, séque ante tubam sine dubitatione reputat victorem. Dein in memoriam reuocans ac ioco militari irridens Gõzali minas, Tandem, inquit, compertum est, non semper fratrem meum vera prædicere. En falsus vates, in hoc saltem euentu, deprehenditur. Ab his dictis, in hostium classem dirigi proras iubet, & summo impetu certamen init. Pugnatum acriter vtrinque; sed vt bellorum euentus incerti sunt ac dubij, à Turca, qui se victum reputabat, stetit victoria. Cæsus in prælio Aluarus, classisque Lusitana miserabili strage deleta, magno fuêre documẽto, & compescendi exultantis animi ferociam, & hominum piorum minas ac prædictiones reuerendi.



De ardore pœnitentiæ.

Cap. IIII.

Postqvam Gonzalus Societati Iesu nomen dedit, tam alacri statim animo affligendi se, & motus suos coercendi negotium suscepit; tantáque deinde assiduitate vsque ad vitæ finem in eo perdurauit, vt dubitare quis iure possit, vtra plus admirabilitatis habeat, ea ne animi alacritas, qua tam asperam viuendi legem ab ipso religionis ingressu sibi imposuit; an illa potiùs, qua ad vltimum vitæ spiritum impositam

tam legem constantissimè tenuit, perseuerantia. Perpetuò gestabat cilicium, in modum thoracis efformatum, alligato desuper lineo collari, indusium mentiente. Addebat nonnunquam cilicium asperius, quâ ex ferro, quâ ex orichalco minutatim puncto, obuersis in carnem punctiunculis. Ita se frequenter, & acriter verberabat, vt toto in dorso nihil sanum aut integrum esset, sed vniuersa caro plagis pertusa, vnius circumfusi vlceris speciem præberet. Res hac ratione cognita. Incidit aliquando Gonzalus in vnum ex sociis, interna perturbatione commotum. Ex ipso vultu agnouit hominem mœstitia torqueri. Eia, inquit, quin tu mœrorem istum ex animo depellis? qui in famulatu Dei sunt, eos hilares & lætos esse oportet. Tu pater, ait ille, sanctus es; animum habes sedatum, & ab omni perturbatione securum; experiri in te non potes, quibus ego curis exedar. Certè, si hisce, quibus æstuo, tentationum fluctibus iactarere, non posses vllo gaudio aut pace frui. Hic Gonzalus commiseratione motus manu hominem apprehendit, in secretum locum ducit, dorsum illi suum nudat, ostendit pænè fractas ac ruptas verberibus costas; Tum sic, Quid animum despondes, mi frater? te ne solum hostis hominum solicitat? quis in hac vita, quæ militia est, cùm teterrimo cacodæmone pacem habet aut inducias? nec flagella timet, nec plagas istas, quas vides, horret; me frequentissimè impetit, acerrimè oppugnat, sed persto, auxiliãte Numine, & perstiturum spero, imò & victurum. Ne te, obsecro,

perditum puta, aut desertum à Deo. Hoc quod tibi calamitas videtur, Dei benignitas est; Gloriæ nobis segetem ministrat. Non ideo patitur hominem oppugnari, vt succumbat, sed vt ipso duce & commilit[illegible]e vincat. His Syluerię dictis dispulsa inprimis ex corde mœrentis tota illa tristitiæ nox: tanta deinde animi alacritas consecuta, vt bonus vir increpita grauiter timiditate & ignauia, actísque Deo gratibus, quòd præclaras sibi bene de ipso merēdi occasiones offerret, intrepidus ad certamen accesserit, in maximam erectus spem de pessimo, tandem hoste victoriam reportandi. Cùm in India prouinciam moderaretur, dici vix potest, quantopere contenderit, vt ne ibi nullum haberet superiorem, qui nullum ibi iure habebat. Sibi igitur ipse subdebatur, & corpus submittebat spiritui. Quod vt perfectè fieret, singulis se diebus crudelissimè cædebat. Flagellum ex virgis erat, quas Indi Rotas vocant. Tenues sunt & flexibiles, atque ad ciendum dolorem & infligēda vulnera adeò natura accommodatæ, vt ad primum ictum cum acerbo animi sensu sanguinem eliciant. Ex hac verberatione id sequebatur, vt curandis vulneribus in carne relictis remedium quæri & applicari oporteret. Hoc plerumque oleum erat ex nuce Melindica, aptum tali morbo & paratu facile medicamentum. Eo se pater libenter inungebat, non vt dolorem minueret, sed augeret; & priori decrescenti nouus succederet. Adeò enim se hostiliter persequebatur, vt postero statim die, nondum curata cute, repetitis ver

tis verberibus vulnera cùm doloribus renouaret. Cùm verò pars vna corporis sic erat saucia, vt ferre ictus non posset, cædebat aliam: & hunc in modum percurrebat omnes, nulla prorsus vt esset, quæ propriis doloribus vacaret. Hinc illud fiebat, vt vix aliter, quàm stando consistere valeret. Vnde ortum, vt quamuis nimis studiosè hanc viuendi rationem tegere curaret, ex ipso corporis habitu detegeretur. Quin etiam cùm in hortum Goani collegij, quo tempore obseruari à nomine posset, se conferre consuesset, vt ibi in quadam ædicula inclusus liberè se verberaret; quominus res nota fieret, impedire non poterat. Inuentus enim in ædicula, & in vestibus internis cruor factum prodidit. Inter hæc, mira in cibo & potu parcitas. Præter panem & aquam rarò ad victum aliud adhibebat. Ab auium esu, & quouis alio suaui aut delicato edulio tam constanter abstinebat, vt à proposito nullis precibus se abduci pateretur. Pauperum victu mirificè delectabatur, paupertatis amore. Cibario pane, cùm edere oportebat, & ex milio, aut secale confecto victitabat libenter. Quando Lusitaniæ oppida & castella concionando lustrabat, ad simplicem panem precariò mendicatum aliquid nonnunquam cœpæ vel halecis addebat, suscepti laboris gratia. Quando domi cum sociis communi mensæ accubabat, ita se ad comedendum componebat, vt nihil videretur ex appositis ferculis relicturus. Iusculi enim aut pultis catinos trahebat ad sese, immersis etiã per simulationem ex pane particulis. Carnem

losopho pateretur vinci, qui non humanæ; sed diuinæ sapientiæ studio operam nauaret. In peregrinationibus,excursionibus, ceterisque itineribus nunquam ad domum aliam, quantum fieri poterat,quàm ad commune pauperum xenodochium diuertebat. Ibi si fortè opus esset somnum cubando capere, quod aliquando coactus necessitate faciebat, ad reponendum corpus culcitra vtebatur ex canabe duris paleis referta, stragulo vili & crasso, sine linteis & ceruicali. Decumbebat aliquando in quodam Portuensis orbis nosocomio(Societatis Collegium ibi nondum erat) magna febri iactatus. Inuisit ægrum Henricus Gouea, is, qui postea propriis ædibus & tribus filiis Societati datis, dum pestilentia infectis piè ministrat, laudabili fine diem clausit. Patrem ita miserè iacentem vir nobilis conspicatus, & vehementer dolens, tam indignè haberi virum tantum, inter alia caritatis officia hoc etiam voluit exhibere, vt mitiori lectó afflictum corpus exciperet. Valde in ea re ab Henrico laboratum;sed tandem vicit; remotaque dura illa culcitra alia ex lino & lana fultam suppposuit molliorem. Hanc rem morbo ipso grauius Sylueria tulit, adeóque commutationem est auersatus, vt quo primũ die iudicatũ est à medico, abesse febrim, suis ipse manibus atque humeris lineam culcitram sustulerit, & priuato in loco reponens, ad suam reuersus sit. At non paruo res illi stetit; febris enim, quasi collecto ex cessatione impetu, debile corpus sæuiùs inuadés, diutiùs afflictauit.

nis gradũ fuisse euectũ. Constat inter Spiritualiũ rerũ peritos, non posse humanũ animũ liberè in Deum euolare, nisi pars illa hominis inferior, quæ omnium parens est & effectrix perturbationum, constricta vinculis,& simul cum vitiis & concupiscentiis, vt Paulus ait,cruci affixa sub rationis imperio contineatur. Quandiu enim sui iuris est,nec vllius subiacet dominatui, cùm sit crasso & concreto permista corpori, suopte pondere fertur ad ima, perque innumeras rerum cupiditates mentem trahens,non sinit eam vno in loco meditando cõsistere, vt possit diuini illius animarum sponsi, vel loquentis vocem audire, vel præsentis aspectu & suauitate frui. Hanc ob rem magnus ille Antonius vir orandi studio eximiè deditus, ipsisque inferorum monstris vel hoc nomine formidabilis,cùm à quodam sene eremita rogaretur, quomodo posset diuina contemplando sic integras noctes transigere, vt grauiter etiam ferret, oriri solem, quod luce sua nocturnam quietem interturbaret, huncin modum fertur respondisse:Scias, frater mi, tandiu me latuisse, in quo vera contemplandi ratio sita sit, quandiu vllam mei ipsius habui rationẽ: vbi verò inquietis motibus veluti noxiis herbis mentem purgaui, meque à me ipso, atque ab omni terrena concretione segregatum ad superiora transtuli, quamprimum degustare cœpi ile mirificum illum diuinæ voluptatis fructum, qui ex cælestium rerum contemplatione à perpurgatis animis percipi solet. Purissimus namque Dei spiritus animum exigit

de fœ

detœcatum & purum, cui gaudia sua instillet; quoniam æquum non est, Gregorio Nazianzeno teste, vt pretiosissimus opobalsami liquor immundo, sordidoque in vase recipiatur. Priùs ergo myrrhæ mons, quàm thuris collis est conscendendus. Hanc enim expeditam esse rectè precandi & contemplandi rationem, monuit apud sapientem qui dixit; Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Etenim vt humanus animus dulcia cum Deo ac suauia miscere possit colloquia, ex quibus gratissimus eidem Deo exhaletur odor, antè ipsi adeundus est mõs myrrhæ, qua perfecta quædam omnium perturbationum mors designatur. Vnde qui nondum mortuis ac sepultis, sed planè viuis ac vigilantibus appetitionibus ad diuina contemplanda accedit, neque illos percipiet, qui ex contemplationis opere expetuntur, veræ pietatis fructus, neque verò in hoc studio poterit diutiùs persistere; cùm indomita illa atque effrenata affectionum caterua soleat plerumque cæco impetu ex improuiso irruere, & contemplantis animi quietem obturbare. Vtrunque igitur coniunxit Gonzalus, atque ab illo incepit, necessario, & summæ veritatis voce commendato sui odio, quo sicut ad stabiliendum religiosæ vitæ virtutumque ædificium nihil est constantius, ita ad inchoandum nihil debet esse prius. Domitis itaque Syluería affectionibus, rerum diuinarum contemplationi tanta mentis, tum libertate, tum iucunditate se dabat, vt relictis plerumque, sicut antea diximus, in terra sensibus, libero animo

mo ad Deũ raperetur. Singularis beneuo leniæ ſigna iis maximè exhibebat, quos norat & in cõprimendis animi ſui cupiditatibus ſolitos maiori ſtudio operam collocare, & in colenda religioſa diſciplina cæteris eſſe diligentiores. Summo ſemper opere ſocios hortabatur, nihil vt antiquius haberent, quàm vt hoſtes ſibi ipſis eſſent infenſiſſimi; cum appetitionibus ſuis perpetuum gererent bellum, nunquam de manu falcem deponerẽt, quæ non ſuccreſcentes tantùm, ſed & vix enatas malorum affectuum herbas penitus ab radice reſecarent; nulla prorſus in re facerent, quod liberet, niſi id ipſum ſcirent fore gratum Deo. Dicere erat ſolitus, habere Societatis religioſum in hac vita, ſi velit, veram purgandi animi rationem, eamque in vna ſui victoria eſſe poſitam; non deeſſe enim illi occaſiones, & quidem aſſiduas, quæ & ſuſcepta contra Deum peccata aſpero vitæ inſtituto rependendi, & multa ac præclara merita per voluntarium ſui neglectum atque odium acquirendi, vberem ſegetem materiamque ſuppeditant. Vt cuique martyri dies ſacer aduentabat, ita in eo, eiuſdem martyris exemplo, ad Chriſti amorẽ & imitationem opportunè ſubditos monebat. Cum feſtum aderat S. Laurentij. Eritne, aiebat, ex vobis, qui diuino amore incenſus imponi velit ferreis cratibus, & ſubiecto igne torreri? Cum S. Andreæ, Crux, aiebat, nos vocat, fratres mei, quid moramini magno animi impetu propter Chriſtum ad illam rapiamur. Cùm S. Sebaſtiani, En paratæ directæque in nos ſagittæ, quin alacres damus

damus corda, & pectora transfigi sinimus? Hunc in modum per dies alios multa, in mortificationis, vt vocant, commendationem disserens, sic ad eius studium atque exercitationem socios excitabat, vt qui tunc in Goano collegio erant, disertè affirmarint, se toto illo triennio, quo Prouincialem Gonzalus egit, ea ratione vixisse, vt in cœlo potiùs viderentur fuisse quàm in terris.



De animi submissione, & honoris contemptu.

CAP. VI.

NEMO ita se erexit superbia, vt animi submissione Gonzalus depressit: nemo sic appetiit honores, vt idem contempsit. Non præteribo quod accidit Conimbricæ. A turpi pellicatus consuetudine, nescio quem abduxit. Rem pellex tulit iniquissimè. Cumque diu multumque laborasset, vt dissolutam amicitiam redintegraret, nec perfecisset quidquã, in Gonzalum iras effudit. Literas ad eum mittit probris & maledictis plenas. Atque vt muliebris furor ad omnem audaciam proiectus est ac præceps, nihil contumeliarum fingi potest, quod in eum non iaciat. Oblatæ superiori literæ; qui eum facilè suspicari posset aliquid arcani latere, quod non ab alio, quàm ab ipso Gonzalo deberet legi, vt erant clausæ, ipsi reddi iubet. Eas ille aperit

rit,omnino rei ignatus:sed legere incipiens, vt scriptionis materiam agnoscit,tanta lætitia perfunditur, quantam nemo, ne summè quidem ambitiosus, maximis laudum suarum præconiis perciperet. Ad locum igitur secretum se proripiens, singulas epistolæ partes,hoc est, singulas per se iniurias minutatim gradatimque perlegit, & attentè considerat.Tunc ita secum; Bene est, inuenisti tandem,Gonzale, cui sis probè notus.En ista fœmina tuis te coloribus depingit.Ignorare iam noli,qualis sis, quàm superbus & arrogans, quanta præditus rerum ignorantia; quàm stultus & demens, quanta plenus simulatione; quot denique & quantis vitiis cumulatus. Hæc sibi patrem non semel tantùm,sed iterum & sæpiùs obiecisse, cõpertum à socio quodam, qui per cæteras collegij partes aliquanto tempore quæsitum,reperit tandem in eo,quem dixi,loco,& tacitus illum obseruauit sese acerbè increpitantem. Non satis ipsi erat pedibus semper,& mendici habitu iter conficere, quocunque iret; verumetiam cùm ad permouendam rem Christianam in vicina æquè & remota oppida excurrebat, sarcinam cum scriptis & libris ad concionum opus necessariis portabat humeris. Fuit qui rei indignitate piè commotus, Patrem obnixè rogaret,vt ad scriptorum onus mãcipio vti vellet, siquidem nollet iumento vti. Negauit se facturum, hac lepida responsione: Hæccine, inquit, tua in me caritas? mihi adimes portandi meritũ,& seruitio dabis? Caue,ne veræ amicitiæ iura peruertas.Erat Olysippone in professa

fessa domo S. Rochi. Degebant per id tempus apud Reginam Catharinam in aula iuxta veterem Lusitaniæ morem, duæ eius consobrinæ, nondum nuptui traditæ. Hæ cùm valde essent pietatis amantes, miroque proinde tenerentur desiderio consanguinei videndi, cuius sanctimoniæ fama totam se per vrbem cum admiratione fundebat, nec suis ipse precibus pertrahere ad se hominem possent, Reginæ ad id vtebantur auctoritate. Ab ea frequenter petebant, iuberet Gonzalum in aulam venire, vt ipsis aulicis fœminis Christianæ doctrinæ documenta coràm exponeret. Sic erat. Sæpiùs in aulam pater Reginæ imperio vocabatur, quod vt ipsi erat molestissimum, ita recusare legitimè non poterat. Cùm sciret tamē, nulla ferè faciliùs, quàm aperta ac simplici vitiorum suorum reprehensione nobilium animos offendi, tentare cœpit, posset ne hac ratione in aulæ fastidium & satietatem venire. Aulicos igitur mores à recto aberrantes acriter arguere, in exquisitum fœminarum cultum vehementer inuehere; nunc ipsas compta cadauera, nunc adoperta tapetibus sterquilinia, nunc aliis asperioribus nominibus appellare. Cùm nihil ista prodessent, & quæ parere odium solet, beneuolentiam Gonzalo conciliaret veritas; viam aliam ingressus, Dauidis artem imitatur, cùm ante Achim Gæthæ Regem productus, ridenda quadam vultus mutatione & defluente ex ore saliua stultitiam simulans, Regem fefellit, & præsens vitæ periculum euasit. Eadem ratione Gonzalus, cùm aulicarum fœminarum

moribus palàm & ſeuerè reprehenſis, obtinere non poſſet, vt ipſis fieret exoſus, remedio vſuş eſt, vt credebat, potentiori; quo tanquã iocularis ac ridiculus vulgò habitus, tanto conſobrinas pudore afficeret, vt deſiſterent eius in regiam aduentum apud Reginã procurare. Conuenerant die quadam aulicæ omnes in conſuetum locum frequentes, vt de rebus diuinis diſſerentẽ ex more audirent. Ecce tibi, veluti à poteſtate mẽtis repentè deiectus, vultum variè immutare, diuerſas oris & corporis induere figuras, ſaliuam in barbã demittere, modis mille inſignẽ ſimulare fatuitatẽ. Sed non ſucceſſit ars. Cognita res eſt, atque adeò effectum, vt vnde Gõzalus ſibi quærebat contemptũ, inde maiorem apud omnes ſanctitatis opinionem, maiorémque beneuolentiam & admirationem conſequeretur. Obſeruatum eſt, cùm in oppidum Goezium ſæpe veniſſet, & templum, in quo comes Ludouicus eius pater ſepultus erat, pro ipſius anima deprecaturus, fuiſſet ingreſſus, ad viſendum ipſum ſepulchrum, quod erat mole magnum, ſtructura ſuperbum, elegantia pulchrum, operis artificio mirandum, nunquam acceſſiſſe, ſed oculos ab eo ex inſtituto remouiſſe: animũ enim ad ea transferẽs quę ad ſalutẽ pertinẽt, dum ab immanibus illis & sũptuoſis marmoribus auertebat oculos, duo nimirũ ſignificabat; primũ, apud ſe nulla eſſe in pretio inania iſta rerum cadauera; deinde incredibilẽ ſtultitiã hominũ eorũ, quibus potior caducæ, quàm ſẽpiternæ gloriæ cura eſt; quandoquidem cœleſtium bonorum obliti, vt

ſe poſteritati commendent, talia in terris relinquunt monumenta vanitatis ſuæ. Incedebat aliquando per vrbem comes Iacobus ingenti equitum ac peditum comitatu ſtipatus; occurrit fortè Gonzalus; vt fratrem conſpexit tanta cum pompa ac tam religioſè incedentem, relicta via minus immunda (tempus erat hybernum) vbi altius lutum, ibi pedes poſuit; ſeque totum dedita opera cæno infecit; vt oſtenderet non minùs ſe corporeis illis ſordibus, Chriſti amore, quàm vaniſſimum quemque magnifico rerum apparatu, & corporis elegantia delectari. Splendorem generis non magis alij palàm facere, quàm ipſe celare ſtuduit. Res etiam in religioſo perrara. Quàm multi ſunt, qui in ipſis quoque ſordibus, quas ſponte eligunt, nolint illuſtres videri? Gonzalo nihil erat potiùs, quàm latere, & terræ filium æſtimari. In Tomarica miſſione cùm die quodam crimina expiandi gratia ad ſecularem ſacerdotem accederet, magna confeſſarium inceſſit cupido pœnitentem agnoſcendi; ſuſpicatus quippe erat, latere in homine aliquid illuſtre, quod humili habitu tegeretur. Rogat ergo, quî vocetur. Rem pater ſubodoratus, & humilitati, quam mirificè adamabat, conſultum volens, reſpondet; Nomen ſuum neque peccatum eſſe, neque peccati circunſtantiam, quæ neceſſariò in confeſſione ſit explicanda. Inſtat confeſſarius inepta ductus curioſitate, Quid, ait, nomen mihi tuum non prodis? Neſcis confeſſario nihil eſſe in confeſſione tegendum? quin potiùs, inquit Gonzalus, ſcio, neque opus eſſe, neque verò ex-

pedire

pedite, vt nomen tibi manifestem meum. Prudenti responso irritatus homo imprudens, abire patrem iubet, absolutione negata. At ille, quem non vllius conscientia sceleris, sed ratio pietatis ad confessionem adduxerat, nihilo seciùs rem diuinam instituit peragere. Quoniam verò præteribat statutum sacrificij tempus, nec confessarius alius poterat facilè adiri, domum se recipit; socium monet, expectet tantisper, dum se ad sacrificandum parat. Ingreditur cubiculum, procumbit in genua, atque animũ colligens, diuina contemplatur. Tantum in contemplatione tempus ponit, vt & litandi, & sui ipsius oblitus videatur. Tum socius monendum ratus, ad cubiculum accedit, iterùmque & sæpiùs ostium in cassum pulsans, non expectato responso fores aperit. Ecce tibi in medio cubiculo Gonzalum videt prorsus immotum, innixum genibus, sublatis ac iunctis manibus, fixis in alto oculis, re viuum, specie mortuum. Visu obstupefactus hæret anceps; cogitat quid agat: id demũ consilij capit. Ad ostium cubiculi reuertitur; ingentẽ sonitũ edit, eo strepitu abstractum hominem reuocat ad sensus. Experrectus ille à contemplationis somno, egreditur è cubiculo sociũ offendens, Eia, inquit, Res diuina vos vocat; eamus, tempus est. Exinde in templũ itum & sacra mysteria peracta.



De obedientiæ, & religiosæ disciplinæ obseruantia.

CAP. VII.

QVàm perfectè Gonzalus suis semper superioribus obedierit, plurimis testatum exēplis est. Illud singulare fuit, quòd in vrbe Portuensi, cùm à Conimbricensi Rectore, cui suberat, literas accepisset, in quibus iubebat, vt quàprimum Conimbricam rediret, repentè se pedibus in viam dedit; nec spectare tantisper voluit, donec calcei corrupti resarcirentur, & nouis, vt opus erat, fulcirentur soleis. Cumque & socius, & alij viri graues monerent, iter adeò esse longum, vt nouos omnino calceos, aut apprimè renouatos exigeret, si pedibus esset peragendum; ipsis verò, quos haberet, reficiendis vix horam vnam posse consumi, respondit, obedientiæ opera non pati moram; multum referre, quàm citò fiat, quod præcipitur; cùm in iis, quæ ad obedientiam pertinent, non horam tantū vnam, sed vel minima horæ pars magnū nonnunquam virtuti afferat detrimentum; denique vt in conferendis beneficiis, ita in exequendis superiorum mandatis, quantum adiicitur moræ, tantum demi gratiæ. Itaque valde incommodo anni tempore (hyems enim frigida atque humida erat) nulla interposita mora iter arripit, ac post dies aliquot nudis pedibus, aqua & luto plenus,

aliisque

aliiſque oppreſſus difficultatibus, Conimbricenſe Collegium ingreditur, magnam ore præferens hilaris animi indicem lætitiam, ſed maius præbẽs tã ſingulari exẽplo ſinceræ obediẽtiæ documentum. Primus fuit profeſſæ domus S. Rochi præpoſitus. Eo in munere nihil illi prius ac potius, quàm vt ſocietatis regulæ & conſtitutiones, recens tunc à B. Ignatio editæ, perfectiſſimè ſeruarentur; quod optimè intelligeret, communitates hominum eodem inter ſe viuendi iure conſociatas, non alio modo aut faciliùs ſtare, aut conſtantiùs ſtabiliri, quàm cùm ſuis quæque Regibus diligentiſſimè obtemperat. Nec verò ob inopiam rei familiaris, quod nonnunquam accidit, vel minima in re, diſciplinam religioſam violari patiebatur. Sic autem domus procurationem cum reliquis religioſæ humilitatis & caritatis officiis temperabar, vt nemo illo eſſet vel in oratione frequentior, vel ad concionandum promptior, vel in audiendis confeſſionibus intentior, vel in infimis culinæ, cæteriſque eiuſmodi miniſteriis obeundis diligentior, vel in noſocomiis, carceribus, triremibus inuiſendis, ægriſque & vinctis omni ope iuuandis alacrior. Sic igitur imperabat, vt non ſolùm quod nemo non nouerat, obedire mallet, verumetiam ſubditi hominis officia quolibet ſubdito exerceret accuratiùs. Idque optabat maximè, cùm aliis præficiebatur, vt ab ea procuratione quàm ocyſſimè amoueretur. Quo tempore Indicam prouinciam adminiſtrabat, aſſiduis à Deo precibus contendebat, eam ma-

 ioribus

ioribus suis mentem iniiceret, vt eo in munere successorem sibi sufficerent; idque vt obtineret, voluntarium sibi ieiunium aliquando indixit, in quo totos atque integros viginti continuos dies, ad victum, quem semel tantùm in die sumebat, præter panem & aquam nihil prorsus adhibuit. Vt animi submissioni, atque illi in primis, quæ in religioso viro maximè est necessaria, in omnem partem, vt dicitur, indifferentiæ, subditos assuefaceret, scholasticos studendi occupationi intentos, vel nullis, vel leuissimis sæpe de causis ab studio remotos, ad culinæ ministeria auocabat. Nonnunquam etiam statuebat vt ij, quibus tyrocinio finito ad antiquiorum consuetudinem transeundum erat, per tempus aliquod cum nouitiis manerent, & eorum more viuerent, quo ad omnia, quæcunque vnquam obedientia decerneret, essent promptissimi; neque aliunde, quàm à diuino nutu, ac suorum moderatorum arbitrio penderent. Quantum religiosæ disciplinæ amans fuerit atque obseruans, vno in præsentia prodam exemplo. Immensus labor, quo apud Portuenses, dum eorum profectui incumberet, premebatur, vires corporis vicit, morbumque attulit longè grauissimum, qui viri virtutem fecit illustriorem. Decumbebat in nosocomio illius sodalitij, cui datum est à misericordia nomen. Renunciatum id viro clarissimo Ioanni Rhoteritio Salæ vrbis præfecto, regiarumque opum œconomo. Hic ille est, qui rebus multis domi forisque præclarè gestis, felici senectute
annum

annum vitæ trigesimum supra centesimum, integer sensibus, expleuisse fertur. Ioannes ergo de Gonzali morbo certior factus, vnà cum Agnete illustrissima fœmina Antonij Salæ Menesij vxore, & ipsius Gonzali propinqua ingenti clientũ comitatu in nosocomium tendit. At Gonzalus cognito Agnetis aduentu, actis per internuntiũ pro caritatis officio gratiis, magna precum vi instat, ne omnino se inuisat; videri enim id sibi à suo atque ab omni religioso instituto valde alienum. Alia ex parte sodalitij rector, & Henricus Goueanus, magna viri auctoritate, deque ipso Gonzalo optimè meriti, obnixè contendunt, ne Agnetem repellat; neque enim esse fas, vt clarissimam iuxtà ac modestissimam matronam, cum qua tanta sibi sanguinis coniunctio sit, eo præsertim loco & tempore, non secùs atque vnam aliam de plebe mulierem aditu & colloquio prohibeat. Caueat diligenter, ne fortè, dum nimis religiosus esse vult, religiosam comitatem lædat, nec solùm Agnetem, sed Ioannem quoque Rhoteritium & omnem Salarum familiam sibi reddat infensam. Si Agnes, inquiunt, nondum egressa domo, huc venire tentaret, non esset forsitan nimis difficile, absque vlla humanitatis offensione eius aduentum impedire: nunc autem, cùm non solùm iam domo exierit, sed in ipso nosocomio, imò ad huiusce cubiculi ostiũ sit, quanam ratione potest, sine iniuria, reiici? Facta crederes verba surdo. Constans firmúsque in proposito perstat Gonzalus, & quamuis religiosè atque humiliter, absolutè tamen negat,

consensurum se vnquam, vt à fœmina æger inuisatur; id enim neque vllo modo sibi videri necessarium, neque verò religiosæ disciplinæ consentaneum. Agnes igitur Gonzali constantia victa, eo non viso pedem refert à limine, & animo æquo repulsam ferens, cum eodem Ioanne Rhoteritio Sala domum reuertitur.



De amore paupertatis.

Cap. VIII.

MIRVM in modum paupertatem diligebat, quod eam sciret, & Christo Opt. Max. rerum Domino fuisse dilectissimam, dum apud nos in terris viueret, & multò veriùs appellari posse religiosæ vitæ firmitatem, quàm vitæ humanæ interitum, vt ex veteribus nonnulli eam appellarunt. Cũ esset Olysippone professæ domui sancti Rochi præpositus, magnopere à sociis laboratum est; vt interim dum ea mundabantur indumenta, quibus vtebatur, alia æquè vilia ac detrita, sed perpurgata acciperet. Nulla id ratione sibi persuaderi passus est, ex sancto Hilarione dicens, superfluum esse, in cilicio munditiem quærere. Cùm igitur eius vestitus commutandi alia ratio non suppeteret, quæsitum noctu remedium: atque eo inscio ac dormiente facta nonnunquam commutatio; eo tamen modo, vt vigilans vel eam esse factam ignoraret; vel

re

re comperta, haud grauatè ferret. Ob hanc caussam diligenter curatum, vt suffectæ vestes vel essent ablatis quàm simillimæ, ne commutatio deprehenderetur, vel deteriores ac magis tritæ, vt moderatè toleraret. Concionaturus in Odiuellensi cœnobio (id monialium est cumprimis celebre ab Olysippone, quatuor circiter milliaribus dissitum) pridie sub vesperum profectus, cùm posset eò facile peruenire, in Luminari, vicino pago, eo consilio substitit, vt officiis omnibus, quæ sciebat à sacris illis virginibus sibi esse parata, paupertatis studio supersederet. Sed & in illo pago, quod erat reliquum temporis, iuuãdo proximo impendit, & explicata latè re Christiana ad xenodochium diuertit, ibique solo pane atque eo duro pastus, cum summa animi voluptate noctem egit. Profecturus erat superiorum iussu ex Lusitania in regnum Valentiæ, vt accepto in Gandiensi Academia doctoratus gradu, ad quædam dein Societatis negotia Romam contenderet. Factus de profectione certior Comes Iacobus, fratrem adit, equum offert, quo vehatur: enixè petit, eo vt vti velit, nec cõmittat vt pedibus aggrediatur iter, multis de caussis laboris & periculi plenissimum. Ad hæc modestè subridens Gonzalus, ita Comitem intuetur, vt quanquam verbis nihil, ipso tamen vultu apertè dicat, equo sibi aut simili viæ subsidio opus non esse; nec aliis prorsus, quàm suis pedibus, confecturum illud iter, quantiscumque laboribus & periculis sit obnoxium: atque hanc sententiam adeò animo firmam & stabi-

lem insidere, vt nulla precum importunitate ab illa se dimoueri passurus sit. Atenim ipso profectionis die, inscio Gonzalo, mittit Comes, qui onusto cibariis vinculo euntem à tergo insequatur. Re Gonzalus comperta, vultu in seueritatem verso, significare inprimis, quàm id sibi molestum sit; de Comite deinde queri, quòd paupertati suæ, quamquam non malo animo, tam multis tamen modis pergat insidiari; postremò Comitis famulum expectatione frustratum omnino ab se dimittere. Instat nihilominus atque vrget maiori studio reiectus homo; iterum & sæpiùs patrem orat, nolit tanta ipsum tristitia, tanta herum iniuria afficere, sibi certè constitutū esse, aliud potiùs agere, quàm re infecta, ante Comitem comparere. Tum pater hac lege contentionem dirimit, vt allata munera ægris & egenis cedant; eorum nomine ea se libenter accipere, aliter non accepturum. Placuit in ea difficultate conditio. Vbi ad oppidum, quod se in itinere primum obtulit, deuentum est, quæsita confestim domus hospitalis; & ibi omnia, re nulla exceptá, in pauperes & ægrotos distributa. Gonzalus deinde, vt cœperat, iter in Valentiæ regnum, inde Romam pedibus prosecutus, victumque, vbi opus erat, precariò quærens, vtrâque in partem peruenit incolumis, faciléque didicit, quàm inania sunt illa, quæ nonnunquam in principio rerum gerendarum obiici solent terrorum monstra; quamque in promptu sit, nisi ipse sibi animus desit, difficillima quæque diuino auxilio superare. Solebat, vt alio iam

iam loco dixi, rei Christianæ causâ per varias Regni vrbes, oppida, castella, pagos, vicósque pedibus discurrere: cùm verò, multis ac longis itinerum spatiis peragratis, calcei tandem rumperentur, nudis deinde pedibus faciebat iter, nec vllius prece adduci poterat, vt aliis vltrò oblatis contra viarum incommoda & asperitates vteretur. In his autem excursionibus, quod iam etiam suprà est tactum, non aliter quàm precariò viuebat, emendicato ostiatim victu, quem quandiu postulabat, aperto erat capite, dimisso in terram vultu, & toto corpore ad summam humilitatem composito. Cùm verò sub noctem ad hospitalem se domum recipiebat, reliquis se pauperibus aggregans, siquid vel primarij panis ex collecta eleemosyna, vel alterius delicati cibi in pera habebat, id aliquibus panis cibarij frustis commutans, iis duntaxat, veluti vnus è vilissimo illo pauperum grege, atque omnium infimus corpus reficiebat. Nonnũquam etiam quo magis fieret nihili, nec tantùm abiectus, sed etiã exigui homo iudicij haberetur, publicis in plateis ad alicuius domus ostium sedens, sua illa cibarij panis frusta comedebat. Itaque rarissimũ fuit voluntariæ paupertatis exemplar; quod ex eo etiam apparet, quòd cùm prouincialis in India fungeretur munere, ad nouitiorum domũ recepit sese, vt eorum more viueret; nec reliqua solùm, quæ ad vitæ vsum erant necessaria, sed ipsos etiam libros reliquit, eosque in publica bibliotheca reponi iussit, tribus tantùm sibi retentis, Breuiario, Societatis constitutionibus,
spiri

ſpiritualibus exercitiis. Cæterùm, quia in eo, quo vtebatur, Breuiario nonnihil videbatur eſſe concinnitatis, illud quoque ablegauit ab ſe, alio ad recitandum aſſumpto, quod erat & forma rude & malè compactum, & vſu detritum. Quin etiam Sāctorum reliquias, piacularia numiſmata, imagines, cæteraque eiuſdem generis, quæ ſecum ex Luſitania in Indiam aſportarat, iis diſtribuit, quibus erat promulgandi Euangelij peculiaris cura. Ita rebus cæteris liber & expeditus vni tantùm voluit Deo hærere. Optimi parentis exemplum ſecuti filij non ſuperuacaneis duntaxat, ſed neceſſariis etiam rebus ſeſe vltrò ſpoliarunt, maximo religioſæ paupertatis incremento.



De caritate in proximos.

CAP. IX.

QVANTO plus apud Gonzalum Chriſtiana caritas, quàm vlla aut coniunctio ſanguinis, aut humanæ neceſſitudinis ratio voluerit, cùm in rebus plurimis, tū in eo, quod in præſentia dicam, obſeruatum eſt. Quidam erat ex prima Luſitaniæ nobilitate, cum quo Comiti Ludouico Gonzali patri aliqua, dum vixit, certas ob cauſas fuerat ſimultas. Vt Gonzalus oſtēderet, non in ea ſe eſſe, quæ in multis mortalium eſt, deteſtanda opinione, vt crederet, paternas inimi

inimicitias perpetua quadam successione, veluti hæreditario iure, aut ex testamẽto liberis relinqui, quin potiùs nihil sibi hoc in genere commune esse cum parente alio, quàm cum Christo, qui & inimicos diligi & beneficiis deuinciri iubet; quibus potuit officiis cœpit hominem demereri. Non assiduas tantùm pro illo preces priuatim ad Deum fundebat, verumetiam manifesta quædam eximiæ caritatis & beneuolentiæ signa publicè atque in hominum oculis ipsi demonstrabat. Ad eum enim honoris causâ, frequenter adibat; sermones cum ipso comiter & libenter ferebat; multóque magis illi, quàm vlli ex suis, & in communibus salutationibus, & in priuatis colloquiis affabilem se ac beneuolum præbebat. Quamobrem qui à Gonzali patre maximè fuerat in vita alienus, eum Gonzalus, vt sibi esset beneuolentia coniunctissimus, singularibus suis promeritis coegit. Tantam quippe filii virtutem admiratus, ita se illi tractandum, moderandumque commisit, vt non solùm peccata, quæ apud ipsum confessione expiabat, sed omnia quoque animi sui sensa fidentissimè aperiret. Quo ex facto magnam sibi Gonzalus apud eos, qui vetera illa diffidia norant, existimationẽ eximiosque virtuti conciliauit amores; & quæ demum diuinæ caritatis vis ac potentia sit, manifestum fecit: nemo enim non vidit, amorem illum, quo quis natura impellente eos prosequitur, quibus aliqua officij vel sanguinis necessitudine coniunctus est, quique non tantùm in hominibus, sed in belluis quoque reperitur, longè ab

Serebat

gè ab eo differre, quem vera Christi pietas erga ipsos etiam inimicos & hostes haberi præcipit. Circa socios infirmos & ægros maiorem in modum erat solicitus. Cogitabat frequenter qua posset ratione eorum ægritudines & tædia leuare. Eos, qui decumbebant, inuisebat sæpe, & proximam à prandio horam illis plerumque dabat. Aliquando etiam, tum præsertim, cùm magnus erat ægrotantium numerus, ne qua illis in re deesset, ipsis quoque sanis in valetudinarium conuocatis, perque præparata subsellia dispositis opportuno tempore, & contemperata voce, nequid molestiæ ægris inferret, de recto sanitatis vsu, deque spirituali ægritudinũ fructu aliquid in cõmune dicebat; infirmosque vt æquo animo morbi incommoda ferrent, atque à Dei nutu toti penitusque penderent; valentes autem, vt ad omnia pietatis opera, quemadmodum cuique iuxta officij, statusque sui rationem promptum esset, vires neruosque intenderent, amicè & beneuolè hortabatur. Promulgatũ erat per orbem Christianum quadraginta dierum Iubilæum. Inter alias conditiones, quas Pontifex ab iis requirebat, qui essent indulgentias lucraturi, illa vna erat, vt quisque pro facultate stipem egenis erogaret. Hinc capta à Gonzalo occasio rem faciendi, qua socij & animis suis vtiles esse possent, & suam in proximos caritatem abundè exercerent. Statuit quippe, vt toto eo quadraginta dierum tempore (Indicam tunc prouinciam moderabatur) per hebdomadas singulas ipso Veneris die, quo erat ex Iubilæi præscripto ieiunandum

dum, mediam partẽ eorum, quæ cuique essent ad comedendum apposita, ad vinctos deferrent. Cumque plerique Gonzalum imitati præter aquam & panem nihil illo die sumerent, non partem duntaxat mediam, sed totum insuper opsonium deferebant. Ad hoc verò misericordiæ opus plura alia submissionis, caritatis, & virtutum plurimarum officia, non tantùm consentiente, sed etiam statuente Gonzalo socij addebant. Distributis enim per singulos cibariis, quidam mundando carceri, alij deferendis ad vicinum mare sordibus, alij rebus similibus operam dabant; quibus perfectis ad ipsos iterum redibant vinctos, corporali iam cibo refectos, eorumque animos longè meliore Christianæ doctrinæ & salutarium consiliorum cibo recreabant. Cùm ex iis, qui annis singulis Goam ex Lusitania appellũt, plurimi ex longissima ac molestissima nauigatione graues cõtrahãt ægritudines, amplum in eadem vrbe valetudinarium, in quo ægroti præstò haberẽt adiumẽta omnia, quæ ad animi & corporis curationem sunt necessaria, Regis Lusitani mandato & expensis institutum est. Non est passus Gonzalus suum hac in re officium deesse. Nam quo tempore prouinciam moderabatur, statuit, vt ad nauium appulsum certus deligeretur numerus sociorũ, qui quandiu opus esset, in nosocomio morarentur, & in curandis ægris atque omni ope iuuandis laborem suum studiúmque impenderent. Vt ergo sanctissimæ occupationi initium daret, tredecim cum sociis ad hospitalem domũ

conten

contendit; vbi in publica valetudinarij ara, vt ab ipsis quoque ægris audiretur, rem diuinam in primis fecit, socios deinde omnes cœlesti pane recreauit, postea gratiarum actione peracta per ægrotorum cubicula eos deduxit, & suas singulis diuisit stationes. Exinde ad ædiculam, quæ ipsis erat ad habitandum designata, eos comitatus breui quidem, sed graui & efficaci sermone hortatus est, vt loci difficultates libēter exorberent, vt ægrotorum querimonias & fastidia non æquo tantùm, verumetiam læto animo tolerarent, vt caritatis officia, cum eo, quo par est, caritatis affectu exercerent, vt in factis dictisque modestiam, in bonis propositis constantiam, in tractandis infirmorum animis prudentiam seruarent; vt tandem maximè niterentur, omnibus vt grati ac beneuoli, nemini prorsus essent onerosi. Inter hæc solatij & spiritus monita consumptus dies. Mansisset cum reliquis in nosocomio Gonzalus, nisi rei domesticæ procuratio obstaret. Singulos igitur tenerrimè amplexus, in collegium sub noctem reuersus est. Illi verò plus mensem cum ægrotis demorati, quæ à prouinciali suo acceperant, summa cum fide & diligentia exequi curauere.

De



De ratione subditos promouendi.

CAP. X.

QVAMVIS ea honesti natura sit, vt omni detracto emolumento, hominum ad se animos alliciat; ipsaque per se virtus satis magnam in se sui mercedem habeat: quoniam tamen etiã illa, quæ per se pulchra sunt, nec commendatione egent, vt expetantur, crescere laudata solent; & ad rectè agendum faciliùs mouentur homines, cùm aliqua inuitantur vtilitate; solebat prudens pater, propositis præmiolis ad pietatem comparatis, iuniores socios ad varia virtutum exercitia excitare. Atque in hunc modũ siue beatæ Virginis rosaria, siue Sanctorum reliquias, siue alia generis eiusdem distribuebat iis, qui cæteris essent vel externa corporis compositione, vel patientiæ laude magis clari, vel qui effrænatos animi motus meliùs coercerent, vel sæpiùs ad Deum mentem erigerent, vel hora qualibet oratiũculas plures in cœlum iacularentur. Hæc forsitan minus rectè facta iis videri poterunt, qui ab humanis ita diuina separant, vt negent fas esse, vllo inter se modo ea cõsociare; quippe quòd humanorum consortio diuina contaminentur. At longè aliter sentire oportet. Quemadmodũ enim rectè factis iure merces decernitur; iustusque & honestus labor præmiis & honoribus decoratur; ita planè dissentaneum rationi non est, vt ad bene agendum prouocentur præmiis, qui vbi bene egerint, præ-

miis digni censentur. Sed hanc quoque fouendæ virtutis consuetudinem tum Gonzalum, tum alios præstantissimos viros, Gonzalo anteriores, ab ipso Deo accepisse, compertum nobis est. Sacra enim monumenta testantur, supremum rerum moderatorem Deum, cuius arbitrio reguntur omnia, non cœlestibus tantùm, sed terrenis etiam præmiis ad rectè viuẽdum, atque ad leges suas seruandas inuitare homines, quas tamen, vt ipsi perfectissimè obtemperent, atque ad eius nutum & voluntatem sese conuertant, omnia humana & diuina iura arctissimè constringunt. Gõzalus igitur summũ imitatus rectorem, adeò hac industria, quam ab eo didicit, religiosam disciplinam promouit, vt nihil per id tempus videri posset Goano Collegio, vbi hæc agebantur, spectabilius. Cubicula, ambulacra, parietes, quæcunque alia illis in ædibus erant, spirabant pietatem, & diuinam illius supremi beatorum domicilij suauitatem redolebant. Non tantùm vitia vitiorumque imagines aberant, sed ipsi quoque inordinati animorum motus, qui celeritate sua rationem solent anteuertere, ac si in tanto virtutum ornatu comparere erubescerent, continebant sese, nec exurgere audebant. Mille in quolibet socio demittendi ac vincendi se species obseruatæ; nulla à bonis operibus quies; nullum ab internis & externis precationibus mentis otium. Erant, qui breui oratiuncula decies millies in die augustissimæ Trinitatis auxilium inuocarent: erant etiam qui certas alias preces, percursis rosarij globulis toties recitarent. At inter hæc literarum

studia

ſtudia nequaquam intermiſſa aut remiſſa, ſed intenſa potiùs & aucta; honeſtum enim repugnare honeſto non poteſt: eaque optima vitæ ratio eſt, quæ non in negligẽdo, ſed in excolendo officio verſatur. Nutriri tamen inter virtutum exercitia ſociorum ſtudia volebat, vt ſiccitas illa, quæ gigni in animis ex literis ſolet, ſalutari virtutis ſucco pelleretur. Quoniam verò compertum ipſi erat, inter religioſos adoleſcentes, qui ex obedientiæ præſcripto literarum ſtudia ſectãtur, ita plerumque ſe rem habere, vt quo quiſque in literis addiſcendis vigilantior eſt, eo ſit in acquirendis virtutibus magis ſolicitus, ſiquidem hæc ſtudia mutuo ſe iuuant, fouentque, ſimulque adoleſcunt, & ad perfectionem perducuntur; idcirco ſedulò operam dabat, vt qui erant literarum occupationibus addicti, in eas diligentiſſimè incumberent. Atque ob hanc cauſam mille inueſtigabat rei literariæ peruehendæ modos: ſæpe extraordinarias inſtituebat diſputationes, quibus Theologos ac Philoſophos acueret. Varias Rhetoricis, & humaniorum literarum ſtudioſis de rebus piis proponebat materias, quas ſoluta & ligata oratione pro ſua quiſque facultate accuratè pertractaret: aliaq; huiuſmodi faciebat permulta, quibus & ad profectum ſcholaſticos moueret, & quantum quiſque in literis proficeret, publico periculo experiretur. Hunc in finem Goanas ſcholas in India auxit, addito Philoſophiæ magiſtro, qui tunc Antonius Quadrius fuit, domi foriſque magna vix auctoritate, & prouincialis munere ante Gonzalum proximè perfunctus. Quin etiam Gonza-

provehendæ

uir

lus ipſe,abſoluto Prouincialis officio,antequam ad Cafres proficiſceretur, Philoſophicas ſcholas ſæpiùs repetebat.Interdum enim publicè diſputabat; nonnunquam magiſtri locum vicéſque ſupplens, nunc defendendis theſibus præerat, nunc aliquid diſcipulis exponebat:atque hæc & cætera omnia ad hoc genus pertinentia non minore cura, quàm cùm prouinciam regeret, voluptate certè multo maiore præſtabat. Non cõtentus ſingulis Veneris diebus, vt in Societate moris eſt,priuatum in ſacellum,locumve aliũ, campanæ ſigno conuocatos ſocios ad pietatis opera exhortari,ipſis quoque diebus Dominicis à prandio ,eadem illa hora, quæ recreationi eſt aſſignata,cum iiſdem ſociis de virtutibus ac vitiis,quæ Societatis inſtituto vel prodeſſe magis, vel magis obeſſe poſſunt,rogatis vltrò citróque ſententiis vtiliſſimos habebat ſermones.



De ſecularium domibus inuiſendis.

CAP. XI.

Quemadmodum ſeculares viri ipſo morum genere à religioſis valde differunt, cùm ſint longè inter ſe diuerſæ vtrorumque viuendi rationes, ita ferè nihil iſtis æquè incommodat, atque ea, quam cum illis, tum humanis officiis, tum mutuis colloquiis ad animi ſalutem nihil pertinentibus, contrahunt fouentque amicitiã, & familiaritatem.Nec verò eorum tantùm ſecularium,quibus aliquid labis inſpergitur,ſed illorum etiam, quorum vita moreſque probantur, noxia

noxia religioſo conſuetudo eſt; ſiquidem contingere vix vnquam poteſt, vt hiſce familiaritatibus non ipſi aliquid hæreat, quod etſi comparere in ſeculo, ſine turpitudine poteſt, transferri tamen ad religionem ſine damno & piaculo nō poteſt. Vt autem ardere rubum, nec comburi; ita cum aliquo familiariter agere nec eius moribus imbui, non miraculo ſimile, ſed miraculum planè eſt. Ob idque, vt opinor, religioſus quidam ac pius vir aliquando dixit, nunquam ſe cum hominibus egiſſe, quin domum minor homo redierit. Vetabat igitur Gonzalus, ne ſocij, niſi ratio grauis aut neceſſitas cogeret, externos amicos inuiſum irent, aut huiuſcemodi officiis tererent tempus. Aiebat enim talibus ex rebus, quæ ab religioſa diſciplina nō minimum abhorrent, non in vnum aut alterum duntaxat religioſum, ſed in ordinem ſæpe totum grauia damna induci. Atenim conſilium hoc ad ſocietatis vtilitatem prudenter à Gonzalo ſuſceptum, ſecùs ac debuit, ab externis quibuſdam expoſitum, querimoniis cauſam dedit; cùm dicerent, valde eſſe ab humanitate alienum, debitis ſalutationibus aditum intercludere, & hominum ab ſe animos inſulſa ſeueritate alienare. Cuius rei factus certior Gonzalus æquum iudicauit, conſilij ſui rationem palàm exponere. Quodam igitur feſto die, cùm haberet cōcionem ad populum, nonnulla reperio dixiſſe, quæ in Latinum ſermonem ex Luſitano fideliter conuerſa, hanc efficiūt ſententiam: Accepi, auditores optimi, eſſe inter vos, qui non modò ægrè ferant, ſed etiam querantur, quòd domos ſuas, ſalutandi ac viſendi

moleſti ſimus

ipſos gratia, non adeamus. Doleo ſanè, quòd cuiquam moleſtiſſimus, cùm nihil, ſecundùm Deũ, optemus magis, quàm vt omnibus, iiſque maximè, qui ſuis nos beneficiis magis deuinciunt, ſimus gratiſſimi; vt quod noſtri muneris eſt, omnibus poſſimus pro noſtra tenuitate eſſe vtiles. Velim paululum conſideretis, quàm teneræ adhuc ætatis ſocietas noſtra ſit, quamque ab huiuſmodi officiis hãc ipſam ob cauſam libera & immunis. Sed & illud cuique certum eſſe debet, ſi neceſſitas abſit ad animi ſalutem pertinens, valde eſſe à religioſo alienum, ſecularium adire domos, hiſque ſalutandi atque inuiſendi occupationibus implicari. Hæc enim vna eſt & certa ianua, eaque latiſſimè patens, qua in religioſas familias prophani mores facili aditu ingrediuntur; breuique fit, vt quæ priùs erat religioſorum ſodalitas, in ſecularium contubernium nullo negotio tranſeat, & ſchola virtutum in vanarum conſuetudinum gymnaſium commutetur. Vſu etiam, nec raró, venit, vt miſer religioſus externũ adiens inuiſenſque amicum, vnius horæ ſpatio totum perdat ſpirituale lucrum, quod integrũ per annum difficili ac laborioſo virtutum exercitio compararat. Cuius ego rei non alios, præter meipſum, adhibere teſtes volo. Quoties enim huiuſce inanis officij cauſa alicuius domum adij, id ſanè non minimo meo damno expertus ſum, vt cùm è collegio egrederer, ſedatum tranquillumque haberem animum, ac rerum inutilium curis & cogitatione vacuum; cùm autem à ſalutatione redirem, non intra me aut in me, ſed in ipſis, quas videram, quaſque audieram, rebus

totus

totus ac penitus essem. Quod si creditis (date mihi, obsecro, hanc veniam, vt quod sentio, dicã liberè,) si creditis, inquam, ob illa quæ in nos confertis beneficia, ad hoc officij genus nos esse adstrictos, atque hoc vobis gratitudinis nomine debere, vt quoties vultis, ad vestras itemus domos, & inutiles vobiscum sermones conferamus; non tanti emimus pœnitere: si hanc à nobis grati animi significationem expectatis, alios quęrite, quibus isto modo benefaciatis, nobis non expedit, tam vili pretio religiosam libertatem & disciplinam vendere. Vtinam sic essetis in Deũ affecti, déque diuinis rebus agendi ea vestris animis vis, atque is ardor insideret, vt colloquendo incitare alios ad virtutem possetis; ad vos sanè, vestrasque in domos non inuiti, non rogati, non beneficiis allecti, sed faciles, sed libentes ac læti magno animi impetu raperemur. Hæc è suggesto Gonzalus, concione frequente. Enimuero à secularium colloquiis, nisi de rebus essent ad animi salutem spectantibus, sic abstinebat, vt nõ solùm neminem iret salutatum, amicitiæ causâ; verùm etiam, qui ad ipsum veniebãt, eos nollet audire, nisi de spiritualibus rebus loquerentur.

itemus



De ratione concionandi, & confessiones audiendi.

CAP. XII.

NVllis, vt suprà dixi, laboribus, nullisque deterrebatur vitæ incommodis, quominus

beneficij magnitudinē testās, vtramque serenissimam Principē, matrē & filiā, magna animi demissione veneratur. Cæterùm etsi huiusmodi pietatis officia eò illustriora sunt, quò à dignioribus exhibētur; tantū tamen splendoris & gratiæ nobilitati cōferunt, vt in magnis Principibus nihil videatur esse spectabilius, nihil etiā magis acceptum. Quantum decoris peperit augustæ Maximi Imperatoris vxori, quòd Martino Turonensi domi suæ cōuiuium apparārit, propriis manibus mensam strauerit, fercula detulerit, accubanti adstiterit, & omnes humilis ancillæ partes erga sanctum virum perfectissimè expleuerit? sed habebant Elizabetha & Maria, quos sequerentur non minus sanguinis, quàm pietatis auctores. Ferunt Alfonsum Henriquiū, primum Lusitanorum Regem, & Reginam Teresiā eius vxorem, quoties Theotonium videbāt, regularium canonicorum Priorem (videbant autē frequentissimè, cùm is Conimbricæ esset, vbi tunc Regis curia) consuesse ad genua accidere, & viri sanctitatem demissè venerari. Ioannem quoque regem, eo nomine tertiū, serenissimæ Mariç patruū accepimus, viro cuidā egregiè pio, apud quem animi culpas expiabat, cùm ad se de nocte ventitaret, obuiam ire solitum, propria manu præferre facem, cubiculorum ostia aperire, appensa aulæa attollere, & cætera præstare, quæ famulorum sunt propria. His maiorum suorum exemplis à tenerrima ætate enutrita serenissima Maria, hæreditariç Lusitanorum principum pietati tantum addidit incrementū, quantū qui volet, ex recētis memoriç monumētis facilè agno-

ſcet. Sed ad Gonzalum redeo. Nōdum illa erat in Societate lex, quæ terminum præſcribit concionanti. Ergo de virtutibus ac vitiis ita diſſerebat copiosè, vt plerūque duas, ſæpe tres horas dicendo conſumeret. Accidit etiam (mirū dictu) vt in oppido Tomario, quieto planè & attento audientium conſeſſu per totas atque integras duodecim horas ſine vlla corporis defatigatione aut interruptione temporis, conciones duas vnā de vltima Chriſti cœna & rebus in ea geſtis, alteram de eodem Chriſto patiente & moriente à veſpera feriæ quintæ maioris hebdomadæ ad ſequentem diem continenter habuerit. In Portuēſi quoque ciuitate dies plurimos verba ad populum faciens, cùm à ſecunda vel tertia poſt meridiem hora inciperet, tūc finis erat, quādo appetente nocte ad recitandam, in Deiparæ virginis honorē, Angelicā ſalutationē cāpanæ in templis ſignum dabāt. Tāta autem, tamque admirabilis in homine erat diuinæ cuiuſdam eloquentiæ efficacia, vt fuſiſſimo quamuis orationis curſu, nullū tamen auditoribus tædium afferret. Atenim conciones ille ſuas multò magis diuina meditando, quàm libros legendo, apparabat. Longo enim tempore præter Breuiariū, Biblia ſacra, & librum, quo ſanctorum patrū vitæ deſcribuntur, alium prorſus non habuit. Chriſti cruci affixi, & Deiparæ effigies eius erant præcipui libri ac potiſſimæ bibliothecæ partes. Hæc ille ſcripta, hæc maximè volumina euoluebat, cùm ſe ad concionem parabat. Qua ex lectione inſtructiſsimus prodibat ad dicendum. Quanquam verò ea Gōzalus animi modeſtia & demiſsione erat, vt ab-

iectiſſimo

iectiſſimo cuique ſe facilè ſubmitteret, ſi tamen ad diuinam gloriam & animorum ſalutem ſic eſſe neceſſarium iudicabat, nemini prorſus cedebat. Cum in India eſſet, vbi prçferuidus ille cœli ac ſoli ardor, qui relaxare ſolet corpora, pari interdum facilitate, ſed maiori ruina ad animos penetrat, & in vitia diſſoluit; videretque cũ ſumma viuendi libertate ſummam peccandi licentiam & impunitatem ſenſim induci; peſſum ire bonos mores; patere cuique ad omnia ſcelerum genera aditum ampliſſimum, vt idonea adhiberet morbis remedia, ſumma quoque dicendi libertate ſibi vtendum cenſuit. Cœpit igitur pro concione in peſſimos diuini humanique iuris corruptores inuehi, ſtupra, adulteria, furta, rapinas, fœneratitios quæſtus, periuria, cæteraque eiuſdem generis monſtra, quæ neglectis agris ſine vlla cultura facilè naſcuntur, & adoleſcunt, acerrimè inſectari; non ætati, non ſexui, non cõditioni, non dignitati parcere. Verũ hæc dicendi libertas magnam viro inuidiã apud omnes ferè conflauit. Vt enim quiſque ſui amans eſt, ita palã fieri & redargui vitia ſua iniquè fert. Multa igitur paſſim ab improbiſsimo quoque in Gonzalum iactari; alij mente captum, alij ſuperbum, & procaci nobilitatis faſtu tumentem; alij illiteratum ac prorſus idiotam; alij fœda alia in ipſum effutiebant; quæ quoniam non mediocre afferre poſſent rei Chriſtianæ detrimentum, ſi ad ea Gonzalus nihil reſponderet, nec parum humani generis hoſtis (hęc enim erat iniquiſſimo ſpes) ex inutili ſilentio lucraretur, ita pater eſt deprecatus, vt & obiecta mendacia mirabili

rabili dicentis modestia redarguta reuinctaque fuerint, & nihil omnino animarum saluti sit incommodatum. Frequentissima igitur concione suggestum ascendens hunc in modum cœpit ad populum dicere: Palā in primis & apertè dicitis, me claritate generis inflatū magni facere nobilitatē meam. Hoc si verū esset, ingenuè confiterer, mallemq; vtcunque vanus, quā mendax videri. Sed hoc vobis dare non possum; cùm nulla mihi nobilitas vllo sit in pretio, præter eam, quā ex eo cōsequi possum, quod abiectissimus Christi seruus & inter omnes nostræ Societatis homines minimus sim. Dicitis, me imperitū esse & planè idiotā. Hoc etiā vobis dare nō possum, cū multos annos in literarum studio, non sine fructu, vt credo, posuerim, & Sacræ Theologiæ doctor creatus sim. Dicitis, insanum esse & de statione mentis deiectū. Hoc verum est, negare non possum, & propter hanc vnam veritatem, cætera omnia, quæ mihi falsò obiicitis, vobis condono. Quod ad confessiones attinet, breuiter dico, vix credi posse, quàm in iis audiēdis fuerit assiduus, quā pius, quā negligens sui. Quidquid à reliquis muniis supererat tēporis, totum id cōfitentibus dabat: & quò quisque videbatur humilior, & abiectior, eò maiori cum alacritate & voluptate illū audiebat. Ad destinatū locum veniens, lustrabat oculis expiandos; si quod inter eos mancipiū esset, ab illo cōmuniter inchoabat. Quamuis autem hoc genus hominum & propter innatam mentis hebetudinem, & propter abiectam vitæ conditionem plerumque deterrimum sit; fatebatur tamen Gonzalus sub hisce vilibus palliolis

lis latitare nonnunquã spiritus ingentes, & Deo plenos; idque non semel expertũ se. Illud etiam testatus est, dum varia per oppida vagaretur, excepisse se confesśionẽ ancillæ, cui ne perfectisśimam quidẽ monialem auderet anteferre, tanta erat animi sanctitate, tanto ardebat Dei amore, tanto profectus sui studio tenebatur.



De exemplo vitæ aliisque virtutibus.

CAP. XIII.

QVemadmodum nihil ferè reipub. perniciosius est, quàm vt malo principi subiiciatur; ita nihil ferè salutarius, quàm vt optimos habeat magistratus. Muta enim sunt imperia sine imperantis exemplo; & qui prauè agit, quamuis rectè iubeat, magis plerunque nocet, quàm prodest. Illa demum vox ad intima penetrat, magno Gregorio teste, quam dicentis vita commendat. Hinc inter sapientes constitutum, hominum societates tum maximè à Deo puniri, cùm eas ipse sinit à prauis magistratibus gubernari; tunc autem eximium ab eodem accipere beneficium, cùm iis committuntur rectoribus, quorum non minus exemplo, quàm imperio dirigantur. Cùm verò tanta virtutis vis & potentia sit, vt in quolibet conspecta, eos quoque ad sui amorem excitet, qui sunt ab ipsa quàm maximè alieni: ad permouendos tamen subditorum animos, atque ad omnem rectè agendi rationẽ, quodã quasi impetu compellendos

dos nihil integra atque incorrupta Rectoris vita cogitari poteſt efficacius. Virtus enim in publico magiſtratu veluti in ſublimi atque illuſtri loco ſità, quẽadmodũ pulchritudinẽ ſuã atq; pręſtantiã euidẽtiùs explicat, ita ſeſe potentiùs conſpicientibus commendat, inque eorum animos & pectora multò altiùs inſinuat. Sed quanquam is ſemper Gonzalus fuit, eamque per omnes vitæ & ætatis ſuæ gradus tenuit viuendi rationẽ, vt omnibus admirationi fuerit & exemplo, quando tamen aliis cum poteſtate præerat, tum verò eius virtutes maioribus quaſi theatris propoſitæ diuinius quiddam ſpirabant, multoque & admirabiliores erant, & ad ſuî imitationem omne genus hominum, potiſsimum ſubditos vehementiùs alliciebant. Animo in eos erat adeò beneuolo ac miti, nihil vt eſſet illius monitis dulcius, nihil imperio ſuauius. Rogare videbatur, cùm præcipiebat, tanta in eius iuſſis erat lenitas: amari enim malebat, quàm timeri, quod ſciret beneuolentiæ vim eſſe maximam, timoris minimam. Sic eum tamen amabant omnes, vt eximiè quoque reuererẽtur. Cæterùm quæ duo in Magiſtratu requirit Plato, vt neque ad ſuam, ſed ad reipublicæ vtilitatem referat, quæ agit, neque aliquam communitatis partem ita tueatur, vt reliquas deſerat: hæc ille in primis ita ſeruabat, vt non ſuis, ſed ſubditorum commõdis prorſus ſeruiret; eoque modo ſingulos amplecteretur, vt quiſque putaret ſe illi præ cæteris carum eſſe. Menſæ accumbens, vt cibum ſumeret, ab Deo inchoabat opus, oculos primum tantiſper in ſublime attollens; iis dein demiſsis,

modeſtè

modestè socios lustrabat, vt si quid vlli deesset, afferendum curaret. Sicut verò magnopere curabat, ne illa subditis desiderarentur, quæ pro religiosa frugalitate videbantur esse ad victum necessaria, ita etiam apprimè cauebat, ne quis ex suis absque iustissima causa à cōmuni reliquorū via hac in parte deflecteret. Quare vbi necessitas non vrgebat, nihil patiebatur esse non commune; atque istas siue in victu & cultu, siue in rebus aliis exceptiones, vti quasdam communis vitæ pestes, & religiosæ disciplinæ quàm maximè aduersas ab Societate ablegare pro sua virili laborabat. Hanc ob causam cùm prouincialis munere in India fungeretur, collegij Goani subministro & coro ad se vocatis expressè mandat, vt in iis, quæ ad ipsorum pertinent ministeria, perfectam seruent cum omnibus æqualitatem, Prouincialis, Rector, cæterique omnes, cuiuscunque antiquitatis & auctoritatis sint, absque vllo discrimine eadem communis mensæ vtantur lege. Vnius tantùm habeatur ratio Ioannis Nonij, Æthiopiæ Patriarchæ; id enim hominis dignatem postulare; quamuis ipse ex animi submissione nullo ab aliis delectu se iungi velit. In loquendo sic erat cautus & circūspectus, vt grauis quidam vir Societatis sacerdos, quo cum ipsi arcta fuit ac diuturna consuetudo, firmiter asseruerit, nunquam se ab eo ne verbum quidem vnum audiisse, quod esset vanum aut leue, quodve ex doctrina magni Gregorij aut ratione careret iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis. Si quē sciebat ex subditis mœrore alieno, alióve animi morbo cruciari, quiescere

coco

aliquo

non

non poterat, donec ipſum aut per ſe, aut alterius opera, ab illo malo liberaret. Quando à prandio vel cœna (quo tempore per horæ ſpatiũ honeſtę recreationis gratia mutua inter ſuos colloquia Societas permittit) ſiue quòd ægroti non eſſent quos túnc inuiſeret, ſiue quamcunque aliam ob cauſam, ad valetudinarium non ibat, interdum coco operam dabat in culina, eſcaria lauans & tergens vaſa; interdũ cum eodem coco aut cellario, aliove rei domeſticæ adiutore de ſpiritualibus rebus conferebat ſermones; interdum cum nouitiis agebat, eoſque plenis Deo verbis ad omne virtutis opus inflammabat. Optabat verò maximè, vt inter ea, de quibus ex Societatis prę ſcripto colloqui ſocij eodem recreationis tempore debent, de beati Patris Ignatij, & eorum, quos ille in conſtituenda fundandaque Societate primos adiutores habuit, virtutibus & rebus geſtis inprimis agerent, vt partim grata recordatione, optimorum virorũ meritis accepta referrent plurima & maxima beneficia, quibus æternũ Numen tam liberaliter, tamque amplè Societatem iſtam cumulauit, partim domeſticis excitati exemplis ad omne genus virtutũ, atque ad illas potiſſimũ, quæ videntur eſſe Societatis magis propriæ, ardentiùs contenderent.

FINIS.





